Unger, S.

# COMPARATIO PLATONIS ET ARISTOTELIS LIBRORUM DE REPUBLICA.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOSOPHICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

UT

SUMMI IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

*DIE X. M. MARTII A. MDCCCXLIII. H. XII.*

PALAM DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS ORGES

BRUNSVICENSIS.

OPPONENTIBUS:

RUDOLPHO NAGEL, Phil. Dr., Theol. Ev. Cand.
CAROLO A KNAPP, Phil. Cand.
ALBERTO RHODE, Phil. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO HUMANISSIMO DOCTISSIMO

**HENRICO COTTA,**

REI SALTUARIAE IN REGNO SAXONIAE CONSILIARIO SUPERIORI, ACADEMIAE REGIAE SAXONICAE QUAE THARANTI FLORET AUCTORI ATQUE DIRECTORI, INSTITUTI SALTIBUS METIENDIS IN REGNO SAXONIAE PRAESIDI, EQUIT. ORD. SAXON. VIRTUT. CIVIL. ET EQUIT. ORD. VIMAR. FALCONIS PRAEFECTO, ORD. BORUSS. AQUILAE RUBRAE CLASSIS TERTIAE EQUIT.

OB

EGREGIA DE LITERIS MERITA ET OB EXIMIAM ANIMI NOBILITATEM BENEVOLENTIAM LIBERALITATEM

HASCE PAGELLAS

VENERATIONIS ET PIETATIS TESTES

D. D. D.

AUCTOR.

# PRAEFATIO.

„ἀπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.“
Eur. Phoen. 479.

Studia Platonis et Aristotelis librorum omnibus nec non nostris temporibus inter summa fuerunt. Nam profecto utriusque viri doctrinam non modo philosophiae, sed omnium fere studiorum humanitatis et literarum principia continere, ipsius vero antiquitatis indolem ad fontes usque exhausisse, quis est qui neget? Enimvero Plato id studebat, ut uno quasi obtutu singulas res huc illuc dispersas respiciens ad Unitatem redigeret et res gestas, mores, ingenia, omnia denique veterum studia certis formis comprehenderet. Aristoteles vero, qui Platone altius omnia animo perspexit, singularum rerum notionem undique et in omnibus partibus disquirens, ita ut altioribus substrueret inferiora, totius mundi et qui sensibus percipi et qui mente intelligi potest, tam universitatem quam utriusquc connexum ostendere studuit. Artes autem liberales et studia hominum, quatenus per antiquita-

tis tempora exculta erant, perscrutando et varias partes aliam ab alia summo ingenii acumine distinguendo, suam cuique vim et notionem vindicavit. Etiamsi utriusqen philosophi sententiarum haud exigua esse discrepantia visa sit, fieri tamen non potuit, quin pro eo, quod spectarent, consilio multa quoque haberent, de quibus si non eodem, certe simili modo sentirent. Etenim quo minus Aristoteles in singulis placitis cum Platone sese consentire fatetur, eo maior similitudo intercedere videtur multas inter sententias, quibus summa philosophiae continetur. Quod ut de omnibus fere libris, ita maxime de illis, quos de politicis et ethicis conscripserunt, probari potest. Plato enim in libris de republica scriptis animo suo informatam adumbrare voluit ideam civitatis, cujus omnes institutiones essent eiusmodi, quae possent hominem adducere ad id quod dicit *ὁμοίωσιν τῷ θεῷ.* Idem autem vel simile quid haud dubie etiam Aristoteli in scriptis, quae sunt de politicis rebus, propositum fuit. Illud autem putaverim proprium totius philosophiae Graecae, rei ipsius indolem cum ipsa exteriore eius imagine contextam esse. Principium igitur morum atque civitatis non solum in singulis rebus gestis et institutionibus civitatum gentiumque sed etiam in iis, quae Plato et Aristoteles de civitate et de virtute exposuerunt, prorsus coalescere videmus. Quae res, cum utriusque philosophi scripta politica perlegerem, et gravissima mihi videbatur, neque acta acturum me putabam, si omnino considerarem, quaenam sit utriusque operis, Platonis librorum qui de republica et Aristotelis qui de politicis rebus conscripti sunt, et discrepantia et similitudo.

Quod ut exsequamur, primum ipsum argumentum

utriusque reipublicae adumbremus atque explicare conemur, quod utrique in republica sua condenda propositum fuerit; deinde quibus in rebus Plato et Aristoteles simili modo senserint et quibus diversa statuerint breviter ostendamus.

---

# PARS PRIOR.

## DE ARGUMENTO ET CONSILIO REIPUBLICAE PLATONIS.

---

### A. Argumentum librorum Platonis de republica,

Singula quaeque, quae ad argumentum pertinent, hic pertractare, post tot virorum doctorum contentiones supervacaneum nobis videtur, cum et ipsius materiae copia, quominus nimis copiose exponamus, nos impediat. Itaque sufficiet, quod gravissimum apud utrumque visum est, notionem et ideam reipublicae Platonis et Aristotelis atque omnia quae ei explanandae inserviunt, diligenter considerare.

Quodsi totum librum, quem Plato de republica conscripsit, uno conspectu perlustramus, nullum unquam exstitisse neque futurum esse librum existimo, in quo admireris maiorem ingenii profunditatem, sublimiorem sen-

tentiarum elationem, neque ullum arbitror Platonis opus esse, in quo possis maiorem invenire ubertatem et copiam rerum simili perspicuitate in uno quasi cardine congestam. Denique omnes pulcritudines, quaecunque possunt inveniri, in illis de republica libris dispersas, miram philosophandi rationis sublimitatem, dictionis iucunditatem et suavitatem, singularum partium aequam iustamque divisionem, quam maximam locutionis varietatem, non pari modo, sed plane singulari exhibitas esse videmus. Quid? est tam larga, tam varia, tam multiplex copia rerum in his libris allata, ut totius philosophiae Platonis, verum etiam universae antiquitatis indolem, naturam ad ipsos usque fontes exhaustam credas? Vides enim dialecticam, ethicam, psychologiam, theologiam, denique permulta alia argumenta tam ad universae antiquitatis naturam, quam ad morum et literarum conditionem, qualis erat Platonis aetate, declarandam hoc opere nobis tradita esse. Omnia tamen unam summam ideam spectant inque ea nituntur, unum consilium sequuntur. De qua re ab antiquissima iam aetate tanta sententiarum dissensio animos occupavit, ut, quid verum sit, unquam ex hac disputationum turba profecturum esse vix sperаveris. Nam ut a Schleiermachero incipiamus, Socratem Platonicum profitetur esse quasi Ianum aliquem bicipitem, qui cum in ipsis sermonibus de virtute et de iustitia maxime egisse videatur, his tamen libris quaestionem de optima civitate agitatam unice respexerit. Quae dissensio et ipsa rerum copia in his libris pertractata causa erat, qua commotus vir ille egregius iudicavit (1), hos libros quasi

(1) Platon. politia in German. convers. (opp. Plat. T. III., P. I.) in praefat. p. 66 sqq.

complementum esse eorum, quae partim nusquam, partim nondum satis accurate explicata fuissent, et cum ii, quorum nomina possumus etiam in Timaeo legere, maxime de republica sermones audiendi fuissent cupidi, Platonem totum opus *Πολιτείας* nomine inscripsisse. Plerique viri docti, qui aut antecesserunt aut successerunt Schleiermachero, alii in inscriptione haeserunt et de civitate condenda maxime existimarunt agi, alii cum vidissent, Platonem ipsum et initio et fine et compluribus locis aliis dixisse, se de iustitia hoc opere disserere, de iustitia potissimum voluerunt agi. Utraque pars suas rationes ad sententiam suam defendendam attulit, quas hic perlustrare longum est et supervacaneum. Plerique auctores recentiores medium quoddam suaserunt, de imagine agi perfectae et consummatae virtutis, qualis in omni hominum vita tam privata quam publica et communi cerni debeat eiusque ostendi vim et praestantiam (1). Alii, quorum praecipuus defensor est Morgensternius, Platonem explicare voluisse putarunt hominis virtute praediti conditionem seu finem moralem (2). Alii aliter existimarunt. Quam Schleiermacheri sententiam esse diximus, animos legentium ad amplitudinem rerum, quae in hoc opere unius ideae obtutu adumbratae sunt, egregie eum convertisse non negandum est. Omnes enim philosophiae partes amplectitur et unum hoc documentum sufficit ad demonstrandum, Platonem philosophiae et scientiae politicae

---

(1) Stallbaum in prolegomen. ad edit. polit. Plat., p. XXVII. et p. XLI.

(2) Morgenstern: commentationes tres de Platonis republica Hal. Sax. 1794. 8. pag. 50 sqq.

inseparabilem coniunctionem statuisse (1), Nos quidem, ut sententiam nostram de Platonis reipublicae consilio aperiamus, nullam harum sententiarum nos sequi posse profitemur, sed summam reipublicae ideam his libris expositam esse censemus, in cujus fundamento quaelibet civitas, in qua de civium *εὐδαιμονίᾳ* agatur, niti debeat. Hanc autem ideam reipublicae a Platone allatam, esse ideam boni, vix dubitaverim equidem. In Unitate absoluta, in ipsa perfecta Dei similitudine hominum felicitatem poni debere Plato profitetur. Sed civitas, cum sit hominum societas, quae non modo in mente sed in rerum natura exstat, virtutes quasdam habeat necesse est, quae sunt vera eius elementa: *σοφία*, *ἀνδρεία*, *σωφροσύνη*, *δικαιοσύνη*. Iustitia summa est virtus hujus vitae et summum fastigium, ad quod homines pro humanarum virium imbecillitate pervenire possunt. Est enim iustitia, ut homo, quae ipsius sint, quam accuratissime peragat (2). Nam Deus homines tales creavit, ut aut sapientia praediti summum finem, Dei similitudinem ante oculos habeant atque hoc modo digni sint, qui civitatis gubernaculum teneant eiusque felicitati consulant; aut homines sunt eiusmodi, ut non ex cognitionis quidem fonte, at facultate agendi vim reipublicae salutarem exerceant; aut denique ea virtute (*σωφροσύνη*), praediti sunt quam Aristoteles paullo aliter, simili tamen modo virtutem servi propriam exhibet. Omnibus vero hominibus pariter sive summa sive infima virtute praeditis iustitia divinitus insita est. Neque ta-

(1) Hanc rem optime explicavit H. Guil. Broecker in libello „Politicorum quae docuerunt Plato et Aristoteles disquisitio et comparatio, Lipsiae 1824." in scripto.

(2) Plat. de rep. IV., pag. 432 B sqq.

men est fons agendi, sed ista animi est conditio, qua agunt sic ut, quod naturae suae consentaneum est, et rectam rationem, quae inter singulas animi partes intercedit, ante oculos teneant. Omnes igitur hae virtutes non sunt *διανοητικαί*, sed *ἠθικαί* (1). Quae vero sit causa cur sic, neque aliter faciant homines, cur, si quidem recte agere velint, ex mente iustitiae agant, non nisi philosophi perspectum habebunt, seu ii, qui absolutae veritatis *τοῦ ὄντως ὄντος* intuendae cupidi sunt. Ea vera est idea boni. Quapropter nisi philosophi regnent aut regnantes probe philosophentur, nunquam non civitas multitudine calamitatum oppressa erit (2). Feliciter igitur civitas regi non potest, nisi principes ad summam rerum cognitionem pervenerunt. Ceteri vero homines, cum non sint philosophi (3), quaenam sit summa idea reipublicae, nunquam perspicient; sed id agunt, ut pro natura sibi insita singulae animi partes consentiant et ut istam animi harmoniam agendo manifestent. Munus vero regnantium, et in unius et in plurium regimine, cernitur in educatione, seu eo, ut homines, quam maxime fieri potest, divina sua cognitione impleant et perfectam animorum Unitatem efficiant. Sic exstabit civitas, in qua perfecta est cogitandi agendique consensio. Quibus consideratis, Plato cognitioni si non maximam, majorem certe quam agendo dignitatem imputasse videtur. Quo enim magis regnantes idea *τοῦ ὄντως ὄντος* impleti sunt, eo magis ipsi egregias res perficient totique civitati ad

---

(1) Aristot. ethic. Nicom. l. II. in cf. l, VI in.

(2) de rep. V., p. 477 D. cll. epist. VII., p. 326 A.

(3) Ib. VI, p. 494 A „φιλόσοφον μὲν ἄρα πλῆθος ἀδύνατον εἶναι.

istud exemplar imperabunt. Neque igitur ex mente philosophiae Platonicae potuimus, quin profiteamur, Platonem in his libris in idea boni, quippe quae fons sit agendi et virtutum, verum fundamentum reipublicae posuisse.

Quae vero sit ratio philosophandi, quam uti in omnibus fere scriptis, ita hic maxime sequitur, his declarat, omnem philosophiam, quae studeat *τὸ ὄντως ὄν*, i. e. ipsam veritatem inspicere, proficisci ab hypothesi, non tamen ita, ut eam principium constituat, verum de initio quaerat et in ipsis demum ideis acquiescat (1). Quae hypothesis iustitia est, summa virtus hujus vitae, ipsa civitatis species externa. Summa idea, qua interna vis civitatis apparet, idea boni est, quae absolutam civitatis Unitatem, humanarum rerum cum divinis inseparabilem coniunctionem manifestat. Postquam autem illam boni ideam illustravit, civitates, quales suo tempore et iam antea fuerunt, cum illa Una, quam sibi mente effingit, civitate comparat. Hae enim nihil sunt nisi *παρεκβάσεις*, nihil sunt nisi *μιμήσεις*, quibus quae veritas insit, libro VIII et IX explanatur. Institutionibus autem, quae in Graecia tum temporis et ante inveniebantur, iam perlustratis, si Plato operi voluisset finem imponere, nihil foret quod tibi non satisfaceret. Nam quod ad externam formam attinet, omnia quae ad quaestionem politicam et philosophicam solvendam dicenda erant, luculenter sunt exposita. Ut omittam rem satis notam, Platonem plerumque finem alicujus libri diserte declarasse, monendum, nisi in hoc opere omnium praeclarissimo plane indigne philosopho agere voluisset, decimum librum addere debuisse, in quo totam vim infinitam sententiarum, quam

(1) ib. VI, p. 511 B.

in praecedentibus exposuerat, brevi oratione iterum amplecteretur et omnibus probaret. In qua re igitur versatur liber iste decimus?

Decimus liber duplicem habet exitum, alterum ipsius rei, alterum quasi dramaticum, argumenti ipsius sublimitati exterioris orationis splendore adjuncto (1). Altera parte summae illius quam novimus civitatis ideae cum unitis artium literarumque cognitionibus instituitur comparatio. Nam omnes cognitiones et tota vita nihil est nisi μίμησις (2), qua re hoc Plato dicit, eum qui vellet

---

(1) Eodem modo hae duae partes sese habent, quo oratio Socratis et Alcibiadis in Symposio, quarum altera fastigium quasi philosophiae legentibus praebet, altera Socratem summum philosophum celebrare instituit haec ipsa principia, quae enarraverat (p. 199 C—212 C.), vita externa probantem.

(2) Ut breviter indicemus, quid sibi velit μίμησις Platonica, uti omnes sententiae Platonis, in sola idearum et virtutis doctrina unum fontem habent, unde ejus significatio possit cognosci. Nam uti virtus ex sententia Platonis in rebus gestis ejusmodi posita est, quae ex summae ideae cognitione prodierint, sic quoque, qui hac ipsa idea neglecta hominum animos inconstantes et mobiles eorumque errores ac vitia describendo imitatur, in civitate ad Dei similitudinem condita exsistere non potest, — poëta. Invehitur enim contra suae et prioris aetatis poëtas, quippe qui falso genere μιμησεως utuntur. Etenim poëtas μιμητικοὺς Plato eos dicit, qui se ipsos quasi exuunt et alienam personam suscipiunt (III. pag. 395, X., pag. 602 B). Est quidem tota ars poëtaram μιμητική. Eos vero, qui virtutem et ideas imitentur, admittendos eese dicit (p. 396 C.), quippe qui uno gradu propius accedant ad summam veritatem (X., p. 697 Esqq). Hi enim re vera poëtae sunt. Nihil aliud igitur Plato profitetur, nisi poëtas oportere esse philosophos, cf. III., p. 392 A; V., p. 459 E; X., p. 607 A; ceteros vero, qui vulgo sic dicuntur, maxime tragicos et epicos, e civitate eiiciendos esse. Quas autem orationis species dicit, quibus poëtae utuntur (ἁπλῆ διήγησις seu ea, quae ἄνευ μιμήσεωσ, δὶ απαγγελίας procedit, deinde ἡ διὰ μιμήσεως γιγνομένη, denique

philosopho digne agere, non oportere veras existimare res eas, quas in hac terra vidisset. Itaque vere beatus non potest esse nisi qui ideae boni in animo ferat imaginem, neque potest ipsa civitas. Quae quidem omnia maxime valent de poëtis, qui uti pictores et alii ejus generis gradu tertio distant a veritate. Quid? quod poësis tantum profert hujus vitae ἀφομοιώματα, quae in hac ipsa vita imitanda versantur. Itaque poëtas quippe qui populum adducant ad existimandum, vere se ea habere, quae poëtice narrent, ita ut haec imitanda summa sibi proposuerint, neque vero Dei similitudinem sibi petendam, e reipublica eiiciendos esse censet. Concluditur denique pars prior hujus liberi iterum laudata philosophia, quae nobis ideae boni cognitionem praebeat; eam vero nullo modo percipiemus, nisi internam vim, quam in nobis exercet, etiam vita et agendo, i. e. δικαιοσύνῃ manifestare studeamus. Totam hanc igitur vitam cum in idea boni intuenda atque imitanda verti necesse sit, totum opus finitur illustri quadam fabula, qua describuntur sortes iustis et iniustis a Deo propositae. Initium autem fit a summa huius vitae virtute illustranda iusti-

---

ἢ δι' ἀμφοτέρων), primam speciem ceteris anteponit, quippe qua se ipsum non celet poëta (pag. 393 C). Quod cadere in lyricam poësin, unusquisque perspiciet. A quo Platonis de poëtis indicio Aristotelem (cf. de arte poët, ed. G. Herm. XXV. 2. vehementer dissentire memorasse satis erit. Haec igitur Platonis est sententia. Uti unusquisque, si quidem recte agere velit, unum tantum peragere decet, sui animi harmoniam et Unitatem agendo expressam, sic etiam poëtam illam Unitatem secundum ipsius neque aliorum indolem hominum animo proferat necesse est. Ea igitur, in qua sese ipsum non celat poëta, lyrica poësis ad veram, quam supradiximus, μίμησιν proxime accedit, cf. p. 393 C.

tia, cujus pulcherrimum exemplar exhibet ethica illa, ut ita dicam, hominum societas, respublica; concluditur ejusdem virtutis laude, cum hac vita, et quae in ea floret, virtute hominis quasi universitas contineatur. Attamen haec vita non est summum; sed summum ea vis ingenii est, qua relictis omnibus, quae mortalia sentiunt, divini numinis ideam inspicimus. Hanc tanquam summum cuiusque cognitionis et cuiusque hominum studii fastigium in medio loco huius operis posuit. Itaque quaeritur nunc ante omnia, quae sit illa, quam reipublicae Platonicae notionem propositam esse contendimus, idea boni.

---

## B. Quid sit idea boni, ex libro VI. reipublicae Platonis pag. 505. A. sqq. exponitur.

Iam igitur accedamus ad illam quaestionem solvendam cujus summa difficultas, uti omnes viri docti, qui in ea enodanda elaboraverunt, satis perspiciebant, ita me quoque non poterat latere, ita ut quasi haesitatione et metu quodam captus, ne possit vis eius infinita me fugere, ad hanc rem me convertam, sed mihi semel altum ingresso, quae me cunque tempestas exceptura sit, vela danda sunt. Sic igitur rem agamus, ut profecti ab explicatione loci illius praeclarissimi, qui legitur in reip. l. VI, p. 505 A. sqq., brevi imagine describamus, quid sit idea boni et quid ad totam philosophiam Platonis valuerit; deinde disseremus, quid sibi velit idea boni in

civitate; denique cetera, quae Plato disputavit, quomodo cum ea cohaereant, paucis declarabimus.

Age iam, antequam ad ipsam rem aggrediamur, paucis dicamus quae idearum doctrinae, quam Plato proposuit, sit virtus ac proprietas. Nam postquam Heraclitus de rerum natura earumque inter se connexu sic quaesivit, ut quam earum naturae propriam esse cernebat perpetuam mutationem, unum ac verum rerum esse principium statueret; Parmenides vero sic, ut Unam rigidam essentiam nullis formis aut proprietatibus definitam rebus vindicaret, quae sola mente esset comprehendenda: Plato, etiamsi ad Parmenidem propius accedens, utrumque tamen, tum perpetuam fluctuationem, quae nullam plane unius alicuius rei admitteret cognitionem, tum meram Essentiam, qua variae rerum formae plane sublatae essent, a vera rerum natura alienam esse censuit (1). Progressus igitur est ad eam quaestionem, quae omnibus temporibus summum philosophiae argumentum exstitit, accuratius examinandam, quaenam sit ratio earum rerum, quas mentis notitias fingimus, et earum, quas exteriores rei imagines ante oculos nasci videmus. Quod utrumque sic sibi opposuit, ut in idearum cognitione solam veritatem positam esse doceret (2). Nam ideam non exteriorem rei formam dicimus, sed aeternam, quam animus noster, exterioribus formae rei partibus plane separatis, contuetur ejus naturam, qualis ipsius Dei voluntate

---

(1) Cratyl. pag. 439 D. E. pag. 440 A.

(2) Locos afferre ad probandam Platonis sententiam, in Idearum intuitu omnem rerum cognitionem niti, vix opus erat; neque causa, qua commotus Plato idearum mundum proposuit, nos fugiet, rerum quae sensibus accipiuntur fluctuatio et mutabilitas.

ei est innata. Idea eam rei speciem designat, cujus exterior imago cum interna notione adeo coalescat, ut unum et totum semper sibi constans animum nostrum pervadat (1). Ac tum nos mentis oculis aliquam rem intuitos esse existimamus. Idea vero Platonis, non ut Essentia Parmenidea, omnem rerum varietatem plane tollit, sed *τὸ εἶναι* et *τό γίγνεσθαι* in Unum coniunctum continet. Hoc igitur est, quod Plato significat rem aliquam esse (2) neque iis non assentior, qui existimarunt, Ideis Platonis *τοῦ* Esse et *τοῦ* Cogitare Identitatem expressam esse (3). At vero quaeritur, quemadmodum ideas in animis nostris gignamus, qua ratione illustrata, quaenam singularis notio et indoles illis insit, nobis perspectum fore spero. Postulat videlicet, ut is. qui velit rei alicujus naturam internam seu ideam plane perspicere, profectus ab exterioribus eius partibus inter sese distinguendis, progrediatur ad Unam aliquam notionem inveniendam omnibus pariter communem, deinde rursus quaerens, quae forte superiori illi notioni externa etiam elementa adhaereant, ea segreget, usquedum ad summam aliquam illius rei notitiam pervenerit, quae Una et universa, semper sibi constans et partes omnes in se complexa mente describatur (4). Nam cum animus noster interiorem alicuius rei vim

---

(1) Phaedon. p. 78 D.

(2) Cf. Cic. Tusc. quaest. L. I. c. 24. „nihil enim ille (Plato) putat esse, quod oriatur et intereat; idque solum esse, quod semper tale sit, qualem Ideam appellat ille, nos speciem."

(3) De hac re vide quae egregie annotavit H. Bonitz in libro qui inscribitur: disputationes Platonicae duae, p. 12. not. 9.

(4) De methodo, qua ad ideas intuendas perveniamus, noster disputat in Phileb. pag. 16. C. D. E.

percipere conatus, quae illi insit, naturam plane exhaurit et ea sese implet, id efficit, ut, abiectis omnibus, quae spectant ad exteriorem rei formam, qualis exstat in mundo visibili, utpote ab ipsius natura maxime alienam aeternam sibi ejus imaginem seu ideam fingat. Hic est significatus qui inest in verbis ἴδεῖν et ἰδέα, ut totus animus oculi instar hanc Unam rem inspexerit (1), Tales notiones mente concipientes ab inferiore ad superiorem escendimus, quoad ad eam perveniamus, quae omnium summa dicitur, ad ideam boni. Si igitur per pendimus, quid Plato hac idearum doetrina, in quarum natura omnem materiae cogitationem voluit esse segregatam prorsus ac seiunctam, efficere studuerit: eum non ostendere contendimus quod singnlarum rerum est argumentum et indoles, sed id potius, quod has animo nostro tales possit praebere, quales ab omnibus percipi debeant. Hoc docet, oportere omnes res, tam quae in rerum natura exsistant, quam quae mente intelligantur' hunc in modum comparari, ut, licet diversa sint ratione, eodem tamen principio summae partium Unitatis sint impletae.

Idea vero boni, ad quam illustrandam nobis nunc convertendum est, non solum partes omnes doctrinae

---

(1) Idearum doctrinae proprietatem I. I. Wagner in Organon der menschlichen Erkenntniss. sect. II. sic describit.

„Zugleich erhellt, dass die von Platon gerühmte Welt der Ideen keine andere sei, als die auch sinnlich erscheinende wirkliche aus dem universalen Standpunkte betrachtet, und dass dieser Griechische Philosoph, wie schon Aeltere vor ihm, als Welten trennt und entgegensetzt, was blos Standpunkte der Erkenntniss sind, die in ihrer richtigen Unterordnung erkannt einander ergänzen.

phlilosophi nostri illustrat et veritatem iis vindicat, sed omnino etiam summum exemplar omnibus hominibus proponit tam eorum quae ad intelligendum, quam quae ad agendum spectant (1). Redit autem argumentum loci, in quo nititur disputatio nostra de idea boni, fere huc. Postea enim quam pronuntiavit Socrates Platonis, philosophos duntaxat, qui cum ad *το ὄντως ὄν* intuendum ideoque ad res immortales animum convertissent, etiam reipublicae salutem facili negotio possent iuvare, huius gubernacula tenere necesse esse, iam transit ad aperiendum illud *ὄντως ὄν*. Enimvero interrogat Glanco pag. 504 A. *ποῖα δὴ λέγεις μαθήματα μέγιστα.* Quaenam vero haec sint, ea, Socrates inquit, ut nobis perspecta forent, ambagibus quibusdam nobis utendum erat, ita tamen ut omnia necessario modo annecterentur (2), Quibus verbis nihil aliud dicit nisi hoc, praecedere debuisse definitionem iustitiae, et quae in civitate et quae in hominibus obvia sit, utpote huus vitae, quae in agendo versetur summae virtutis, antequam divina illa cognitio percipi queat. Perlustranda igitur omnibus est, Socrates ait, eadem via, quam nos quoque in antecedentibus permensi sumus, aut plane non ad finem verum pervenient (3). Nam ideam boni cognitionem summam esse, quae iustitiae et omnibus virtutibus suam cuique lucem afferat, quis est quin fando audiverit (4)? Simili modo etiam regnantes et tota respublica in tenebris versari videntur, nisi ideam boni intuiti sint. Nam uti animus summum

---

(1) De rep. VI. p. 505 A.

(2) p. 504 B.

(3) p. 504 D.

(4) p. 505 A. cll. p. 504 D. 506 A. et Phileb.

aliquod et totum sibi effingit, ad quod ut perveniat quaecunque agit, sic rex quoque tale quid debet propositum habere, cujus ipse non solum, sed singulae quoque civitatis partes pro sua quaeque indole participes sint (1). Quod nisi fiat, sui non conscius aget. Hanc mentis conscientiam philosophi de summis rebus quaerentis praeclare dascribit p. 505. E.

Idea boni enim nos docet, quatenus illae virtutes bonae sint, (p. 506 A). Quid igitur est illud quod dicit causam esse harum virtutum? Certe idea boni virtus non est; nam virtutis hoc est proprium, ut aliquam rem talem, qualem natura secum fert, agendo efficiat, ita ut prodeat secundum naturam ei innatam. Cujus vero virtutis est, ut mentis *ἐνεργείᾳ* efficiat summam illam veritatem, i. e. ideam boni in animo nostro exsistentem? Est *σοφίας* seu *φρονήσεως*. Itaque *φρονήσεως* altior. Ideam vero boni intueri non est ipsam causam, sed Dei similitudinem, quam animus spirat, cognoscere, quae constat in perspiciendo interiore quodam concentu, Unitate, quae uti singulis rebus, ita universitati rerum inest. Quare si intelligo, quatenus illae virtutes bonae sint, intelligo, quomodo ad singulas res et homines sint relatae. Itaque ne quis tantum forte et inscius virtutes exerceat, ideam boni perspectam habeat necesse est, de qua Socrates in sequentibus inde a pag. 506 E. disputandi initium facit. Quem *ἔκγονον* dixerit, statim apparebit, ipsa comparatione expressa. Omnium rerum, inquit, eae quae visu cognoscuntur, clarissimae sunt et omnino visus omnium sensuum longe est pulcherrimus. Enimvero ut rerum

---

(1) p. 506 A. cll. VII., p. 519 C.

causam assequamur vel ut intelligamus, sic neque aliter rem posse se habere, opus est tertio quodam, quod quasi medium inter duas res interponat earumque rationem ostendat (1). Ita enim ab exteriore rei forma, quae sensibus percipitur, transitus fit ad cognitionem (2), qua re hoc dicit, mentem in rerum, quae in sensum cadant, solvendis disiunctionibus versari, et esse philosophiae, mundo Visibili qui caret rerum firmitate ac constantia opponere Intelligibilem, in quo omnes rerum oppositiones ad absolutam Unitatem redigantur. Cum igitur primum rem ipsam teneamus, deinde alterius rationem habeamus, opus est mente, cognitione, quae utramque suis finibus coërcet, atque vim et notionem proponit. Accedit quidem etiam in iis rebus, quae aliis sensibus, auditu et cet. percipiuntur, tertium quoddam, veluti aër. Cuius tamen rei mentionem facere Plato supersedit nec necessarium putavit; sed visum, quippe qui a vi animi intuentis proxime absit, ante omnes commemorat. Namque tertium illud, quod oportet accedere, ut et oculi lumen solis videre, et ipsa *τὰ ὁρώμενα* agnosci possint, eiusmodi est, ut quo diutius et quo accuratius res inspicimus, eo magis animum permoveat, ut has intueatur. Est igitur sol illud tertium, quod efficit. ut visus et oculus suo munere fungi queant. Sol autem hoc est, quod rebus summam claritatem praebet; itaque visus omnium sensuum soli est simillimus. Visus vero etiam propterea est sensus pulcherrimus, maxime sublimis, quoniam visu ad philosophiam pervenimus (3). Uti igitur sol causa

---

(1) Plat. de rep. VI. p 507 E. — 508 C.

(2) de rep. VII. p. 523. C.

(3) Tim. pag. 47 B. cll, de rep. VI. p, 507 C. sqq.

est efficiens omnium rerum quae sub visum cadunt, uti sol causa est totius mundi Visibilis, i. e. uti sol ei, quod habet facultatem videndi et ei quod videtur, vim et claritatem offert, itidem idea boni facultati illi quae cogitat, et ei rei quae cogitatur, veritatem suppeditat (1). Noluit Plato his verbis dicere, quid sit idea boni per se spectata sed voluit duntaxat animi dispositionem, conditionem ostendere, cum iam diu in veritate rei investiganda frustra versatus subito summa claritate perfunditur. Non igitur ἔκγονος de ipso sole quem ante commemoraverat, intelligi oportere videtur (2); at hoc potius profitetur, nolle se dicere, quid ipsum bonum sit, sed modo quid ad res singulas valeat et efficiat, declarare. Quod quamquam non ipsis verbis indicat, attamen imagine illa exprimit (3). Quod si recte statuerimus, nihilominus ipsius boni definitionem exhibuit. Nam utrum dicam, quid sit ipsa res, an quid efficiat et praebeat, non multum interest. Bonum ipsum quid sit, Plato certo modo nusquam declaravit, nisi volueris in ea definitione, quam scriptores narrant eum in colloquiis dedisse, bonum Unum esse (4), requiescere. Itaque ex universa ratione philosophiae Platonicae imaginem eius repetamus necesse est (5).

---

(1) De rep. VI., p. 506 B.

(2) cf. Kapp in libro. Platons Erziehungslehre als Pädagogik für die Einzelnen und als Staatspädagogik, oder dessen praktische Philosophie, pag. 174.

(3) cf. de rep. VI., p. 508 B. sqq., 509 B.; cll. VII., 517 B.

(4) cf. Gorg. p. 504 sqq.; Tim. p. 31 A: de rep. IV., p. 423 D.; de legg. V., p. 739 D.; VIII., p, 828 E.

(5) Notionem boni Plato in Phileb. p. 65 A. idea pulcritudinis, modi et veritatis exprimi declarat Ceterum, id quod con-

Idea boni vis illa est infinitia, qua tota universitas, tum earum rerum quas animo atque mente contueamur, tum quae sub sensus sint subiectae, veluti fulgore perlustratur; est summa lex, ad quam omnes res pro sua quaeque natura relatae sunt, denique summum vinculum, quo omnia in Unum coniunguntur. Cuius ideae ea est in nobis conscientia, ut divinam totius mundi harmoniam mente possumus divinare. Veritatis igitur in aliqua re intelligendae cum id sit, ut mutationibus rerum, quibus pro mortali sua natura subiiciuntur, potita eas tenat, inter se connectat et ita *οὐσίαν* (1) efficiat; censere poterat, ideam boni rebus suam cuique veritatem vindicare. Qua propter nos non oportet ipsam cognitionem cum idea boni temere commutare, si quidem idea boni summa illa est Dei similitudo, ipse spiritus divinus, qui et rebus et hominibus inest, quo singulae res et partes mutuam coniunctionem internam inierunt. Itaque cognoscitur idea boni in singulis *τῆς ἐπιστήμης* cogitationibus, ita ut partium alicuius scientiae internam consociationem ostendat, deinde qua ratione pro natura sua summi eius principii participes sint, denique quemadmodum hoc ipsum principium in superiore aliquo vinculo innitatur. Nam quando

---

stat inter omnes, idea boni et bonum idem significant, uti ipse declarat, cum modo hoc, modo illo nomine utatur (VI., p. 508 E; VII, p. 517 C. cll. VI. p. 509 B.). Solum discrimen eorum quae in Philebo et quae in libris de republica scriptis de idea boni disputat, hoc est; ut in Philebo in principia quaedam cognitionis inquireret eorumque cum idea boni comparationem instituerel, in libro VI. autem et VII. reipublicae vim Intellectualem et Moralem, ut ita dicam, quae insit in idea boni, studeret ostendere.

(1) cf. Phileb. p. 54. C.; cll. p. 16 C.—17 A.

rem non ita agimus, tum mens nostra tenebris obcaecatur. Quae omnia a nobis diputata pulcherrime noster l. VI., pag. 508 E. sqq. exprimit.

Quocirca cum γένεσις duntaxat mutationes et vicissitudines rerum ex partibus compositum, multiforme, varium, quod perpetuo fertur flumine, *οὐσία* seu *τὸ εἶναι* modo eam vim significet, qua res quaedam in universa fluctuatione tenetur, qua qnasi exsistentiam, ut ita dicam adipiscitur; idea beni summum illud medium est, quod rei propriam virtutem praebet eamque vere exsistentem ostendit. Est igitur idea boni *τοῦ γίγνεσθαι* et *τοῦ εἶναι* multo sublimior, (pag. 509 B.)

In his consistunt gradus cognitionis; (VI. p. 511 E. cll. VII., p. 533 E.) quos ex interpretatione Schleiermacheri sic denominamus: Vernunfteinsicht, Verstandesgewissheit, Glauben, Wahrscheinlichkeit Priores ad mundum Intelligibilem, posteriores ad mundum Visibilem spectant (p. 509 D.). Ergo idea boni est causa efficiens pariter cogitationum, ac rerum gerendarum (pag. 505 A.), atque cuiusque rei, est summa idearum, principium immutabile huius mundi, quod omnia circulo quodam movens totum mundum spiritu divini numinis complet.

Quae hucusque de idea boni a nabis disputata sunt, si recte se habeant, iam neminem fore spero, qui Deum secundum Platonem contendat ideam boni esse. Quid enim? Nonne si tale quid profiteare, Platoni magnam absurditatem imputaturus videris? non eum talem videris existimare, qui eorum, quae summa omnium rerum principia posuerit, prorsus inscius exstiterit? Qui, si haec eius eret sententia, tam obscure locutus est, ut nullam locorum, qui has res attingunt, rationem reperire possis,

nisi eos tua coniectura violenter velis detorquere. Ut igitur, ne nimis copiosi simus, de iis tantum verbis dicamus, quae leguntur in reip. l. II., pag. 379 A., — p. 381 B., ubi Deo bonitas, immutabilitas et veritas vindicantur, plane alia est ratio huius loci, quam illorum, in quibus ideae boni mentionem facit (1). Ideam boni talem esse, qualem nos describere studuimus, et luculenter effatus est, et quibus maxime poterat causis demontsravit, de Deo exsistente nusquam quaesivit, quasi per se pateret. Indoles quaedam ei tribuitur bonitatis, qua non nisi bona creavit; quare hoc dicit, Deum rebus iniecisse suam cuique aeternam naturam seu ideam (2). Deum tantummodo bona creare, mala vero ab hominibus proficisci, nihil aliud significat, nisi Deum aeternam naturam ab omni fluctuatione liberam, quae in se ipsa haberet finem, creasse; eo autem, quod aeterna haec rerum natura cum caduca earum forma permiscebatur, factum, ut naturae mortalis et immortalis non aequa ratio habita

---

(1) Mittamus locum illum iam saepius citatum, qui legitur in reip. l. X., p. 597 C., quippe qui solus est, ubi Deus ideas creasse dicitur. Quamvis nolim C. Fr. Hermanno assentari, qui sic disserit. „Id enim a tota ipsius doctrina, quam alibi proposuit, adeo alienum est, ut decimum illum librum longissimo temporis intervallo a reliquis disiunctum, nec nisi sero additum iure nobis statuere videamur.“ Cui sententiae obstare nobis videntur ea, quae de libri X. cum antecedentibus connexu disputavimus (cf. C. Fr. Hermann dissert de idea boni pag. 5. in indice lectionum in academia Marburgensi per semestre hibernum $18\frac{3}{3}\frac{2}{2}$ habendarum, quae dissertatio repetita est in Jahnii annalib. philolog' paedagog. 1832 Supp. 1. fasc. 4. pag. 622 sqq).

(2) Tim. pag. 30 A. cll. de rep. II., pag. 37.) B.

sit eoque res sint depravatae (1) Deus ex mente Platonis est mens creans, qui vim suam aeternam et absolutam perfectionem in rerum universitate manifestat. Haec vero summa eius perfectio est idea boni, ipsa Dei natura. Quod inter Deum et ideam boni discrimen si recte exposuerimus, confitendum quidem est, Platonem eo errasse, quod actum creandi, ipsam Dei ἐνέργειαν, separaverit a divina natura, quae, omnibus rebus et hominibus divinitus innata, illis veritatem praebet, hisce summum cognitionis fontem aperit; ita ut fere dualismum proposuisse visus sit (2). Sed haec hactenus de idea boni, qualis ex se ipsa sit intelligenda.

Quaeritur iam, quid idea boni sibi velit in civitate, quid ad eam valeat; quaeritur, num quid veri Plato dixerit, cum ideam boni summam notionem reipublicae proponeret. Ante omnia igitur nobis dicendum est, quod consilium in exhibenda hac reipublicae notione Plato secutus sit. Noluisse enim Plato mihi quidem videtur rempublicam condere, neque id spectasse, ut omnia, quae hoc opere instituta exhiberet, revera perficerentur. Voluit reipublicae ideam statuere, quae, cum summa quaeque amplecteretur, non singulis modo hominibus, sed universis rebuspublicis, quaecunque in posterum exsisterent, summam civitatis notionem expromeret; omnino

---

(1) Tim. pag. 69 C. cll. Theaet. pag. 176 A.

(2) Gravissima quoque ad sententiam nostram probandam haec Platonis sunt verba, quae in reip. l. VII. pag. 517 C. leguntur, ubi idea boni dicitur „ἔν τε νοητῷ αὐτὴ κυρία ἀλήθειαν καὶ νοῦν παρασχομένη“, quae verba Trendelenburg „de Platonis Philebi consilio“ pag. 20 praeclare sic explicat: „boni idea veritatem et intellectum non gignere et creare, sed afferre et praebere dicitur.“

talem statuit, quae ex intimo fonte Graecorum ingenii hausta esset. Nam idea boni utpote princeps dux societatis politicae imaginem summi omnium partium consensus proponit, quod singula quaeque, quae ad rem publicam pertinent, in universo fine quasi excipiuntur, ita tamen ut capita civitatis eius plane conscii sint. Quare debet politicus, vel quod idem ex sententia Platonis, philosophus compos esse absolutae illius Unitatis, quae idea boni exprimitur, et cuius in finitorum regno exprimendae effingendaeque causa omnino exstat civitas. Haec universae philosophiae Platonis, haec reipublicae quoque species, ut cum Cicerone loquar, summa posita est. Enimvero postulat, ut regnantes et custodes, in quibus propria nititur reipublicae vis et facultas, idea boni, i. e. ut, completi perfecta Dei similitudine, non nisi eiusmodi opus peragant, quod unice in idea summa nitatur, ea quasi sese fulciat; postulat omnino, ut omnia, quae agerent, pro sua quodque natura ad hunc unum finem conversa summa cognitione sint penetrata (1). Perma-

---

(1) Haec est summa eius, quam v i r t u t e m Plato dicit, seu eius, quo positum esse existimaverim principium Morale a Platone propositum, quod in sequentibus his breviter adumbrare conabimur. Virtutem omnino dicimus de rebus ita ad propriam naturam i. e. ad partes inter se consentaneas comparatis, ut illae possint, quae est earum natura, bene proficere, de rep. I. p. 353 A. Ita loquitur de virtute oculi (l. l.), terrae (Critias pag. 117 B), aquae (ib. p. 117 A.) corporis (Gorg. p. 479 B. cll. p. 504 C.) Idem valet de hominibus, si talem animi partium inter se connexum effecerint, ut mutuo auxilio unum quoddam opus sibi ipsi consentiens perpetrare possint. Sed quaeramus, quomodo haec animi partium harmonia paretur. Postulat enim Plato, ut, cognita rerum huius mundi et studiorum hominum natura, id mente concipiamus, quod solum rebus et factis veritatem praebere possit, ut

gnum sane poscit; nempe vult, non vulgares actiones in singulari quodam fine nitentes ab illis perfici, sed quae

omnia, quae hominis sint, ad summae Unitatis, ad Dei, ad aeterni illius, qui per totam naturam regnat, concentus similitudinem, agamus, loquamur, cogitemus. Cuius vero virtutis est, quae ad tam sublimia animum nostrum auferat? Est φρονήσεως; ceterae enim virtutes multo inferiores (de rep. VII. p. 518 E), Omnia enim et mentis cogitationes, et ea, quae natura exsistunt, et hominum actiones atque studia, ad Unum et summum exemplar fiunt. φρονήσεως est, ab iis, quae sub sensus cadunt, ad sempiterna animum convertere (Phaedon pag. 79 D. cll. p. 68 C sqq.) Quum igitur hominum studium eiusmodi est, ut ab illo, quo animus in corpus invadens squalore affectus est, quam maxime eum purget; ut, quam maxime fieri potest, ab externis eum detrahat et idearum, quae ad Dei similitudinem comparatae sunt, meminerit (Menon. p. 81 D, cll. Phaedon p. 72 A. E. Legg. V, p. 732 B); denique quum id contendunt homines, ut pro sua quisque indole totam vim animi ad hunc laborem naturae humanae perpetrandam ferant: tum id eos agere, quod naturae ipsorum consentaneum est, i. e. eos virtute praeditos esse dicemus. Verum cave existimes, virtutem a Platone definitam, quam ob sublimitatem non nisi philosophis iisque, quos philosophia statuit carere non posse, regnantibus vindicat (de rep. IV, p. 432 C. Legg. V, p. 732 B) sic intelligendam esse, ut sola Dei similitudine per animi intuitum capessenda constet: sed in re puta ex ipsa mente creatice gerenda (schöpferische Thätigkeit). Res gestas docet tales esse oportere, quae non singulas res vulgares ad vitae consuetudinem spectantes adumbrent, verum altius desiderium indicent, idearum divinitatem agendo effingendi; omnino quae ideam, argumentum rei, qua animus ad agendum profertur, penitus exhauriant. Denique intelligimus, Platonem voluisse, homines agere μετὰ ἐπιστήμης Haec sunt, quae ἔργα dicit, haec sunt hominis virtute praediti, quales heroes Homero et Hesiodo laudati, quales Lycurgus et Solon exstiterunt. Hae sunt, quas Plato καλὰς πράξεις dicit (symp. p. 208 D. p. 209 D et E. cll. p. 181 A), quae summae ideae intuendae et in hoc mundo perficiendae desiderium produnt. Quid igitur? Nonne videmus Platonis virtutem ex intimo Graecorum ingenio depromtam, quos et idem et Aristoteles laudant φιλοσο-

quasi ipsa divina mente patrentur. Neque tamen adeo mira enuntiavit, quae possint ab humana mente aliena dici. Immo non modo, quae in omnibus, etiam nostri temporis civitatibus, necessaria; sed quod quidem omnium longe gravissimum, ipso suo principio universi Graecorum ingenii, tum quod literas ab iis excultas, tum quod res gestas attinet, accuratam imaginem nobis delineavit: summa denique quadam, quae Dei similitudinem spiraret, idea ei, quae tum temporis exstabat, morum, civitatis literarum, ingeniorum perniciei opposita, voluit patriam suam, civitatem Atheniensium, voluit totam Graeciam ad veterem sinceritatem atque ingenuitatem redigere. Etenim quod Plato ait omnia fieri debere pro universa salute augenda, quod ei *τὸ κοινόν* (1) dicitur et quod Aristoteles ubique profitetur, *τὸ ὅλον τοῦ ἑκάστου* prius esse (2), id Graecis in intimo animo divinitus quasi innatum erat (3). Eo constare dico virtutem Graecorum,

φία et φιλομαθία praeditos? (cf. Plat. I. Alcib. p. 123 D, maxime vero Legg. I. p. 626 D, Lach. p. 183 A. cll. Legg. I. p. 642 C. — Aristot. pol. VII, 6, 1. ed. Schneider; cll. I. 1, 5. Plat. de rep. V, p. 469—471 C), Haec est virtus Graecorum, quam Plato descripsit, Leonidae, Aristidis, Cimonis, Socratis, aliorum qui singularia contemnentes in universa salute augenda et servanda omnia collocabant, qui sui ipsorum contemtu, virtutis et immortalitatis gloria flagrantes mortem oppetebant,

(1) cf. Legg. IV, p. 715 C: de rep. IV, p. 420 B—E; 421 A—C; VI, p. 497 A. cf. Plat. de rep. V, p. 449 C. cll. Arist. pol. II. 2, 4. eth. Nic. VIII, 9, Plat. Legg. V, p. 739 C.

(2) Arist. pol. I. 1, 11.

(3) De hac Graecorum conscientia Trendelenburg de Pl. Phileb. consilio p. 18 in annot. sic disputat: „Ideae, quoniam formae sunt a mente artifice susceptae, et fere notiones in species, quas intuearis conversae: Graecae philosophiae proprium florem referunt; Graeci enim qui in pulcherrimo quoque adspiciendo laetae

quod summum bonum, universitatem sui et civitatis salutis existimabant. Causam perniciei et perfecti interitus propriae indolis Graeciae, si in universum significare licet, in ipso humanitatis progressu invenimus. Quae quo magis sui conscia fiebat; quo magis perspiciebat, nisi unius hominis commodis cum universa alicius societatis salute quam maxime coniunctis, veram reipublicae salutem iuvari non posse; quo magis unusquisque de se ipso cogitabat, non quatenus pars esset necessaria reipublicae et generis humani, sed quatenus etiam per se esset aliquid: eo vehementius, eo violentius naturae Graecae proprietas est percussa. Quod uti in rebus politicis, ita in omnibus fere perspicitur rebus, quae humanam cognitionem attingunt.

Aperuimus itaque originem ipsam philosopiae Platonicae, significavimus consilium, quod Platoni in libris, qui sunt de republica, propositum erat? Quid igitur? Veteris Graecorum ingenuitatis, temporum illorum iamdiu praeteritarum, quibus nobilissimi iidemque optimi atque praestantissimi civitatis gubernacula tenebant, aequalibus suae aetatis memoriam volebat redintegrare et demonstrare, ideae absolutae summum omnium partium consensum complexantis in reipublicae universitate, in agendo, in cogitando, exemplar cerni oportere. Poscebat ut omnes res gestae, ut omnia excogitata, omnia effata, non modo ex interiore desiderio, quod ἦθος dicitur, ex indole naturae innata, sed quod multo sublimius videtur,

---

vitae fructum habebant, in ipsa philosophia in rerum obscuritatem abstrusa formae claritatem protulerunt, ut hac relicta, a suo ipsorum fere ingenio desciscerent et magis humane quam Graece philosopharentur."

ex summae illius ideae intima cognitione hausta essent. Sed satis de summo proposito librorum Platonis de republica dissernisse mihi videor, quamvis aliquid modo dicere mihi licuerit.

---

## C. De singulis elementis reipublicae Platonis.

Restat, ut de reipublicae Platonicae elementis, quae ordinibus civitatis eorumque virtutibus, denique animi partibus constituuntur, nonnulla addamus.

Orta est civitas ex mutua necessitate, qua alius alius auxilio ad bene vivendum non poterat carere. Haec ipsa necessitas tres protulit ordines, quos in civitate primum esse fundamentum cernimus, scilicet illorum qui regnant, illorum qui civitatem tuentur et omnino eam efficiunt agentem, eorum denique qui res ad vitam necessarias procurant. Regnantes, qui summae rei, quae mente cogitari possit, perfectam cognitionem nacti sint, id agunt, ut notionem civitatis, qualem Plato sub ideae boni imagine descripsit, exhibeant et iustitiae summae vel universae virtutis maxime participes sint. Regnantes igitur universam civitatem eiusque ideam, ut ita dicam, repraesentant (1). Ad ordinem vero *φυλάκων*, quibus est respublica tuenda, praeter ipsam defensionem contra inimi-

---

(1) de rep. VIII, p. 545 D.

cos et hostes, quae inter maxima est, omnia spectant, quae sunt externae administrationis, quae quidem singula afferre et pertractare Plato noluit, quoniam talequid a proposito longe abhorrebat. Quamobrem non debet exsistere, qui Platonem opinetur aequilibritatis cuiusdam ordinum nullam plane rationem habuisse. Cavendum omnino recentiorum auctorum et interpretum cavillationes, qui singula, quae Plato hic narrat, perstringentes ad iniustissima iudicia sese abripi passi sunt, quorum unum nominasse sufficiat Morgensternium (1), non audentem illum non profiteri, Platonem phantasiae suae ardore ad absurda ac portentosa abreptum esse. Mihi enim Plato tantum voluisse videtur, ut in naturae universitate et in singulis quibusque, ita maxime in civitate tria illa elementa adesse oportere, unum quod finem ostendat et legem quasi aeternam, alterum quod motum et coniunctionem efficiat, tertiam denique quod ceteris materiem praebeat, qua possint vim suam exserere. Cetera vero, quae his adiunxit, rationem vivendi, quam custodibus praescribit, maxime vero bonorum ac mulierum liberorumque communem, quam suasit, possessionem, nihil nisi *πάραδείγματα* et experimenta quaedam mihi esse videntur, quibus exteriora humanitatis vincula ex universa humanarum rerum fluctuatione eriperet eamque redderet Unam in se conclusam, ex omnibus partibus aequam. Nempe iam tunc eiusmodi exempla adhibere cupiebat, quae ad Dei similitudinem, quam postea statuit, in hoc mundo perficiendam apta essent. Licet non negaverim, eum etiam externis causis commotum haec exempla elegisse,

---

(1) cf. l. l. comm. III, p. 231, al.

quae a praesenti rerum conditione essent depromta, maxime bonorum communionem, cum bonorum possessio omnium fere bellorum usque ad Platonis tempora gestorum, uti Peloponnesiaci, et omnium internarum seditionum causa prima fuisset. Neque tamen propositum habebat, certi quidquam hac de re constituere. Negari quidem nequit, Platonem debuisse potius Graecorum rem politicam, id quod Aristotelem egisse infra videbimus, ad suam ideam adaptare, quam ardore suo, ut ideas cum ipsis rebus conflaret et has ad illas quasi eveheret, res proponere eiusmodi quae in humana quidem societate effici nullo modo possint. At rem multo inferioris momenti non nimis urgere licet.

Denique de tertio ordine disserendum est, de quo perpauca tantummodo Plato dicit et cuius in omnibus, quae hic proponit, institutis nullam fere mentionem fecit. Est enim illius, omnia quae ad rempublicam servandam pertinent et res ad vitam hominum necessarias procurare, adque ea opera, quae regnantes ex vi mentis creatrice excogitarunt, et quae custodum est vi agendi perficere, auxilia et opes dare (1). Invitus quasi nec nisi necessitate coactus, quia respublica illo ordine carere non potest, de eo loquitur, cum sensuum licentia et eorum, quae inde hominibus fluunt, vitiorum malorumque memoria ingenio philosophi de summo, quod omni humanae cognitioni, quod singulis hominibus et rebus publicis commune, principio quaerenti maxime adversetur. Neque vero referre ait, unum vel plures istorum hominum a praescripto

---

(1) cf. de rep. VIII, p. 557 C. D, V, p. 462 B, cll. de leg. VIII, p. 846.

modo declinare, dummodo regnantes et custodes gubernacula teneant, neque civitatis Unitas dirimatur, ad quam omnibus civitatis institutis spectandum esse dicit. Vix vero est, quod moneamus, talem Platonis tempore inferiorum populi ordinum fuisse licentiam, ut iam hoc argumentum debeat nobis sufficere, cur plebis multitudinem civitatis administrandae partem nullam habere vellet (1).

Descriptis quae sunt ex sententia Platonis singulorum ordinum in civitate muneribus virtutes cuiusmodi sint et ordinum quasi naturae, facile potest intelligi. Quum tamen omnes cognitiones uni eique summo principio substrueret, et quum etiam disciplinae philosophae cum politica perfectam statueret Identitatem, societatem politicam eadem qua singulos homines ratione considerare debuit (2). Proficiscitur enim a gravissimo illo argumento, unquemque, cum propriam suam habeat naturam, id debere conari, ut, quae eius sint, quam accuratissime peragat.

---

(1) Cuius rei veritatem non poterat praeclarius eloqui, quam iis verbis, quae in epistola V. p. 322 B et C leguntur. A quocunque demum scripta est haec epistola, tamen non est dubium, quin ex intimo Platonis animo haec verba dicta sint; nec non egregium documentum nobis praebent eius rei, quam nunquam non profiteri potuimus, Platonem scriptis suis non modo philosophiam ad rectam viam voluisse redigere in eiusque vim atque indolem altius inquirere, sed etiam morum populi sui integritatem restituere et veterem Graecorum indolem quasi redintegrare. Conferri iubeo epist. VII. pag. 325 E.

(2) Unde Morgensternius in eam sententiam adductus est, Platonem explicare voluisse, quae communes essent leges morales et singulorum hominum et totius civitatis.

(3) cf. de rep. II, p. 370 C. p. 374 C. Custodes simul rem militarem et agriculturam exercere debere Plato negat, quae lex etiam apud Spartanos lata esse ab Aristotele traditur, polit. II, 2, 11.

Haec virtus, quam iustitiam perhibet, adeo omnibus est insita, ut etiam iniustissimi quique, i. e. qui naturam suam supergrefsi res ab ea alienas agunt, tantam habeant iustitiae partem, ut nihil faciant, quo sibi ipsi noceant (1). Quae iustitiae notio (2) ad omnes virtutes ideoque ad omnes quoque homines referatur necesse est. Est enim illa externum vinculum, quo singulae civitatis partes inter se coniunguntur, quo fit Una. Qua re singulas virtutes considerantibus unam sine altera nihil esse, immo ad vitium facile verti luculenter apparet (3). Non igitur vere virtutes, sed modo partes virtutes sunt. Virtus enim politica, quae constituit civitatem eiusque felicitatem, ex sententia Platonis non nisi una est, *δικαιοσύνη*, qua de causa interdum promiscue utraque voce utitur (4). Nam

---

Externa instituta, quae a Platone et quae in republica Lacedaemoniorum proposita erant, magnam similitudinem prae se ferre, res est sotis nota, cf. de rep' I. VIII. C. Fr. Hermann in censura edit. Stallbaum. libr. Platon. de republ. in annalib. Zimmerm. a. 1830. Wachsmuth antiquit. Gr. I. 1. p. 134.

(1) De rep. I., p. 352 C. iustitia igitur Platonica cum universa natura et cum natura hominum plane congruit. Est enim iustitia Platonis omnium animi virium perfectus consensus, qualis initio hominibus a Deo innascitur. Nam uti prorsus sublato omni vinculo, quo naturae elementa consociantur, tollitur ipsa natura; sic diruta omni humanarum virium animi et corporis harmonia, ipse homo exsistere non potest. Qua de causa, Plato inquit, perfecta iniustitia nusquam poterit inveniri.

(2) ib. IV, p. 434 A. cf. p. 433 C et D.

(3) ib. VI. p. 491 B.

(4) cf. I, p. 351 A, VIII, p. 554 E. Ceterum caveas ne virtutem et iustitiam idem significare existimes. Nam virtus, qualem supra adumbrare conati sumus, principium morum est, quod homines in agendo sequuntur, iustitia autem virtus est, quatenus civitatem attingit.

si hominis natura est ea, ut tam in cogitando quam in agendo omnium animi partium et ita virtutum consensum effecerit, tum dicimus eum ex mente iustitiae agere. Si homo id facit, quod eius est naturae, eum iustum iudicamus. Iam ceterae virtutes: *σοφία, ἀνδρεία, σωφροσύνη* sunt *ἕξεις* quodammodo, quae tribus illis ordinibus correspondent. Sapientiae igitur est, universam civitatem regere (1). Debet vero accedere *ἀνδρεία*, ea virtus,- qua idea, quam mente creatrice excogitavimus, cognoscitur in singulis rebus gerendis. Nam uti universi animi ea est natura, .ut res ab eo creatae non modo fiant et sint, sed ut per se sint (an sich sein), ita quoque *ἀνδρεία* Platonis non mera est fortitudo, quae in singulis rebus gestis cernitur: sed est interior quaedam facultas, *ἕξις*, qua aliqua res, qualem esse oportet, talis re vera est et manet, est ea vis civitatis, qua valet, naturam suam undique et temporibus omnibus ostendere. (2) Temperantiae denique est, harmoniam quandam inter singulas res efficere, ita ut aliam propter aliam exsistere appareat; est vinculum, quo animi facultates inter se coniunguntur(3). Sapientia igitur regit universam civitatem; *ἀνδρεία* rationem exprimit, qua movetur; temperantia singulas partes disponit et suo loco collocat; iustitia de-

---

(1) ib. IV, p. 428 D. cf. p. 421 B,

(2) de rep. IV. p. 429 C. cll. p. 430 B. Protag. p. 358 D — 360 D. Legg. V, p. 633 C. D. E. Laches p. 194 D — 195 A. cll. Aristot. polit. II, 1, 7. „τό γε ἑκάστου ἀγαθὸν σώζει ἕκαστον.

(3) p. 430 E. cf. p. 431 C et D. cll. epist. VIII, p. 855 A. Ceterum non est dubium, quin Plato hanc virtutem ad tertium ordinem voluerit referri, etiamsi odio quasi commotus huius rei meminisse noluerit, cum mallet hanc partem humanae Exsistentiae ut ita dicam, plane tolli.

nique perfectam omnium virtutum et animi partium harmoniam exprimit (das vollständige In — einander — wirken der Elemente des Staats und der Seelenkräfte im einzelnen Menschen).

Tota igitur et ordinum et virtutum, quae illis propriae sunt, descriptio ex ipsa animi natnra hausta est inque ea nititur. Ea vero ita comparata est, ut divisionem in tres partes admittat. Nempe *τὸ λογιστικόν* ipsa mens, est illud quo possumus rerum internam vim et ipsas ideas perspicere, ea animi pars, quae a rebus circa sensus versantibus nos detrahit et vitam nobis praescribit Dei similem; *τὸ θυμικόν* sive *τὸ θυμοειδές* illi paret eique auxiliatur, exprimit omnino eam animi facultatem, qua impellimur, ut leges divinas, quas mens et ratio praescribunt, agendo exerceamus, animi motum. Denique *τὸ ἐπιθυμητικόν* ipsam cupiditatem seu eam animi partem designat, quae non nisi res sub sensus cadentes, ceteras autem, quae mente perspiciuntur, non nisi divinando percipere potest. Itaque rationi et *τῷ θυμοειδεῖ* obedit, natura servit IV, p. 434 B et C. 441 E. Quas singulas partes non modo suum quamque agere vult, sed omnes quoque consentaneo modo esse coniunctas. En vides, inseparabili modo haec omnia, ordines, virtutes et animi facultates inter se coniunctas esse. Natura igitur reipublicae Platonicae ponitur in *ἐνεργείᾳ* animi facultatum, quales apud singulos homines et in universa natura apparent (1), in ipsa civitate exhibita.

Non vero opus est verbis multis ut probemus, iustitiam summam quidem esse virtutem in republica Pla-

---

(1) cf. Tim. p. 92. Gorg. p. 507. 508.

tonis, inferiorem tamen ea, qua vim accipit et quae idcirco primum locum tenet, idea boni. Iustitia enim mera est *οἰκειοπραγία*, virtus politica(1). In iis autem, quae supra disputavimus, *εὐδαιμονίαν* reipublicae in summa cognitione, quae insidet regnantibus, positam esse vidimus. Est enim idea boni id, quo respublica obtinet vim intellectualem et moralem, omnino id quo a rebus humanis, quae sub sensus cadunt, ad divinitatem evehitur. Ideam boni summum reipublicae fundamentum substruere et in singulis, quantum fieri potest, manifestare, hoc est philosophorum ipsiusque philosophiae, quae summa hominibus bona praebet. Ex cognitione autem prodit ea quae summa virtus est huius vitae, iustitia. Tantum vero abest, ut Platonem cedamus ideis nimium indulsisse remquepublicam nimis idealem instituisse, vel etiam de republica revera condenda et de institutis iis, quae proposuit, perficiendis cogitasse, ut, quod magis abhorreat a mente Platonis, interpretes comminisci non potuisse, contendamus. Verum de republica Platonis hactenus. Nam alia, quae de virtutibus, de animi partibus ad *φύσιν* referendis, de educatione, de *μιμήσει* et maxime de institutionibus civitatis nobis dicenda fuisse videantur, partim per nimis largam materiem, quam pertractare nos oportuisset, exponere non licuit, partim, quantum fieri potest, rempublicam Platonicam cum Aristotelia contendentes adiiciemus.

---

(1) de rep. IV, p. 441 D. et E. 443 B.

# PARS ALTERA.

## DE REPUBLICA ARISTOTELIA EIUSQUE CUM PLATONICA COMPARATIO.

---

### A. Argumentum Aristotelis librorum qui sunt de politicis.

Iam notionem reipublicae Platonicae exhibere et ostendere, in illa, quam Plato proposuit, politicae et ethicae perfecta Identitate veram Graecorum indolem niti conati sumus. Plato enim poscit, ut singulorum hominum natura in civitatis natura plane sese tollat, quod ea, quam in civitate effingi vult absoluta Unitate, perfici dicit. Ad hanc igitur civitatis notionem reipublicae institutionem redigi oportere confirmat. Neque vero consideraverat, hominum ingenia etsi illo tempore maxime depravata, eo tamen pervenisse, ut intelligere coepissent, nisi unius hominis agendi libertate universae reipublicae veram libertatem et felicitatem exsistere non posse. Quare ne in perfecta illa quidem morun et civitatis principii Identitate acquiesci poterat. Sed quae est hominum conditio postulat, ut externa civitatis felicitas et ut leges ad externam hominum conditionem spectantes quam firmissime constitutae sint. Nam aliter virtus, qua posita est vera hominum et civitatis beatitudo, exerceri nequeat.

Neque vero ista conscientia, quae sensim in hominibus tum temporis incitabatur, in civitatibus Graecis, quae vetus erat divinitus iis innata virtus et proprietas, quam in republica Platonis verissime descriptam legimus, manifestari potuit. Sed ista conscientia incitata Graeciae et Graecorum interitus effectus est (1). Neque tamen discrimen, quod interest inter priorem et posteriorem historiae Graecae aetatem ullum effugiet. Illa enim imaginem quandam eius reipublicae notionis, quam Plato in libris de republica nobis tradidit, exhibet; haec vero pugnam seu certamen inter eam libertatem, qua externae leges legibus ethicis plane sublatae erant, et eam quam singuli homines sibi vindicare volebant, ut civitas libera et felix esse posset, nobis delineat. Hoc ipsum certamen inter veterem et inter eam, quae posteriori aetate viguit, civitatis ideam in Aristotelis de illa doctrina exprimitur. Utriusque igitur de his rebus sententiae eo arcte cohaerent, quod ille absolutam civitatis et morum principii Identitatem proposuit; Aristoteles vero ita disputavit, ut vetere opinione non relicta utrumque coniungere studeret. Neque in Platone frequentia vestigia eius rei non reperimus, quod haesitanter modo singularem unius hominis libertatem impugnaverit et suppresserit. Quaecunque igitur inter Platonem et Aristotelem de politicis rebus exstare videatur sententiarum diversitas, arcte tamen eas cohaerere seseque invicem inniti negari nequit. Quod ut intelligatur, ante omnia in civitatem Aristoteliam eiusque quae constituit prima elementa, accuratius inquiramus.

---

(1) Hegel Vorlesungen über die Geschichte der Philosophie, t. II. (opp. t. XIV). pag. 288.

Aristoteles omnino in libris qui sunt de politicis in eo versatur, ut quam rationem Graeeorum indoles cum communi generis humani natura iniisset, explorare contenderet; ita ut non interiorem vim animi eorum, sed rationem vellet exhibere, qua mentis conscientia in singulis rebus gestis egissent, quatenus, quae causae essent institutionum reipublicae, cognitum habuissent. Itaque in singularum civitatum naturam inquirit, causam singularum partium perscrutatur earumque connexum ostendit atque exemplis ex omnibus et Graecae et ceterarum gentium historiae partibus depromtis explicare studet. Qua re id effecit, ut seriem quandam singularum rerum, systema, ut ita dieam, institutionum civitatis, prout alia ex alia nata erat, exhiberet, et eis, qui post ipsum vel philosophi vel politici vel historici vel alius cuiusque generis homines literati et causarum indagatores exsisterent, ante oculos esset historia pragmatica, ne quid dicam nimium, philosophia historiae Graecae; denique ut haberent imaginem rerum Graecarum, quatenus universae humanitatis excolendae pars essent plane necessaria.

Reipublicae vero describendae tres dicit esse rationes, ut aliquis vel optimam et summam civitatem exhibeat, quae unquam mente excogitari possit; vel ut quam optimam rempublicam describat, rerum et temporum conditionis ratione habita; vel eam quae certa quadam institutione data optima sit (1), Iam hac in divisione Aristotelis consilium, quod in optima republica condenda spectandum esse ait, a Platonis proposito discedere videmus. Plato enim postulat absolutam Unitatem, qua singularis

(1) Ar. pol. IV. 1, 2. cf. Plat. de legg. V., p. 739 B—E.

homo non amplius sit per se aliquid; Aristoteles vero quaerit, quaenam sint, quae ad partes singulas pertineant, quae plerisque vel omnibus optima sit civitatis institutio.

Ut autem videamus, qualis quantaque rerum copia in his libris ab Aristotele prolata sit, singulorum librornm argumentum breviter enarremus (1). Iam convenit cum methodo, quae regnat in omnibus eius argumentationibus philosophicis, quod statim initio breviter significata eius rei, quam aggressurus est, natura in singularum partium indolem et causas cohaerentiae inquirit. Statuit igitur rationes et leges, quae in rerum natura inveniantur, initia civitatis, scilicet elementorum quorundam, quorum unum sine altero neque omnino esse possit neque aliud sibi simile procreare, coniunctionem, veluti maris feminaeque; deinde eam legem naturae, qua aliae res aliis sint submissae eisque inferiores, ita ut unaquaeque a superiori suam vim accipiat. Quae leges naturae etiam in civitate valent. Itaque in viri et feminae iunctione, tum in illarum partium, quae ad regnandum et earum, quae ad obediendum constitutae sint, consensu civitatis fundamenta nituntur. Perhibet igitur partes civitatis familiam pluriumque familiarum societatem vicum, ex qua nascitur civitas; dein discriminat id quod regnat et id quod servit (2); postea vero disputat de modo, quo haec duo elementa, inter se consocientur, et de artibus quas ex erceant, *οἰκονομική* et *χρηματιστική* (3); denique

(1) cf. Bitter Geschichte der Philosophie, tom. III., Fr. Biese l. l. tom. II., quem nuperrime edidit.

(2) Ar, pol, I., 1 et 2.

(3) Id. ib. I., 3 et 4.

vero rationem studet explorare, qua partes civitatis sint et cum ea cohaereant (1). Maxime vero hoc probare vult, omnes quas his elementis virtutes et singularitates tribuat, quamdiu per se exsistant vel a reipublicae vinculo segregatae, non nisi imperfectas esse neque naturae iis innatae speciem prae se ferre.

In secundo libro institutiones civitatis tum eas, quas philosophi et historici antehac posuissent, tum has, quibus nunc (Aristotelis tempore) gentes uterentur, breviter recensere sibi poposuit. Itaque de Platone (2), de Phalea, denique de Hippodamo (3) disserit. In parte vero huius libri altera Laconum, Cretensium et Carthaginiensium rempublicam descripsit (4); in tertia denique consilii, quod viris, qui non conditores quidem civitatis, sed legislatores certe exstiterint, Soloni, Lycurgo, Pericli et aliis, quos hic commemoravit, fuerit, brevem notitiam consignavit (5), Nobiscum omnino communicavit Aristoteles his primis libris omnia, quae omnes scire oportere ei visum est, ut ad notionem civitatis et ad varia eius genera cognoscenda possint adire: leges uaturae, a quibus proficiscitur civitatis origo, et quae inde necessariae eius partes nascuntur; deinde historiam eorum, quae alii de republica proposuerant.

Postquam igitur de civitatis elementis egit, iam tertia parte huius operis, quae tertium ad sectum usque librum complectitur, naturam reipublicae definire enititur, cuius

---

(1) Id. ib. I., 5.
(2) Ib. II., 1—3.
(3) Ib. II., 4 et 5.
(4) Ib. II., 6—8.
(5) Ib. II., 9.

notionem talem proposuit, ut omnia, quae non aliquam partem eius ἐνεργείας suscipiant, ab ea vellet excludi. Hac vero nititur eius, qui πολίτης dicitur, notio (1). Tum procedit ad diversa huius ἐνεργείας genera perquirenda, ad reipublicae formas examinandas, quae monarchia, aristocratia, politia dicuntur, harumque diversas species proponit. Cum iis quae de βασιλείᾳ disputat, arcte cohaeret insequens disputatio, primum utrum melius sit, ab optimo an vero ab optimis legibus regi, deinde utrum unum an plures imperare oporteat (2). Concludit denique tertium hunc librum illa quaestione, cuius saepius mentionem iniecit et profitetur velle se de optima civitate loqui. Itaque libri IV. initio declarat, quid sit, quod dicunt, optimam civitatem instituere (3). Poscit vero, id quod et alio loco profitetur, ut πόλις sit τέλεια (4), i. e. talis quae in se ipsa finem habeat. Neque vero ei sufficit, ut Platoni, summam ideam protulisse, quae hominibus, qui civitatem componunt, attingi nullo modo potest, sed quae in rebus et conditionibus maxime nititur. Qua de causa eos politicos reprehendit, qui optima et summa modo considerent, neque vero humanarum rerum rationem habeant. Quam rsprehensionem non dnbito ad Platonem maxime pertinere, neque est temeraria (5). Nec minus

---

(1) Ib, III., 1—3.

(2) Ib. III., 10—12. conf. 6—8.

(3) Ar. pol. IV., 1—3.

(4). Id. ib. I, 1, 8. III, 5, 14.

(5) Ib. IV. 1; 3. Si Aristoteles sententiam suam exemplis voluisset probare, locos eos citare potuisset, ubi Plato leges rem dicit superfluam, de rep. IV., p. 425 D. sqq.] VIII. p. 563. D. et maxime Politic. p. 294. D.

Platonem postea castigavit, quippe qui unam duntaxat democratiam et oligarchiam existimaverit, cum tamen plures sint. Iam ante omnia necessarium est, legislatorem vel eos qui rempublicam condere velint, diversa genera institutionum civitatis non fugere. Quarum origine illustrata et quaenam sint cuiusque species, postremo adiicit tres illarum *παρεκβάσεις*, quae nuncupantur oligarchia, democratia et tyrannis. Sequitur deinde longior disquisitio, qua conditionum politicarum, quales non modo in civitatibus Graecis, sed ubique occurrunt, mediam et aequam rationem invenire studet, ita ut nullus ordo, neque pauperum, neque divitum, nulla omnino res sit, quae nimium in civitate valeat. Eam omnino optimam civitatem censet, qua virtus eiusmodi praescribatur, quae finibus hominum generi attingendis maxime sit consentanea, et ubi rerum politicarum medium quoddam exstet (1). Indigetat postremo, qua in re consistat *ἐνέργεια* omnis civitatis et quaenam quasi primariae eius partes sint statuens primum *τὸ βουλευόμενον*, deinde *τὸ περὶ τὰς ἀρχάς*, denique *τὸ δικάζον* (2), Quinto libro causas mutationum, conversionum, et quibus rebus queat quaecunque civitatis forma aut interire aut conservari, eo ordine perscrutatur, quem initio huius libri indicat. Cum his arcte cohaerent, qnae sexto libro disputat de modo, quo singularum institutionum et maxime quidem oligarchiae, *πολιτείας*, quae sensu angustiori dicitur, et democratiae transitus fiat. Nam sunt haec omnia mera earum rerum supplementa, quas libro praecedente imperfectas etiam reliquerat.

---

(1) Ar. pol. IV., 9 sqq.
(2) Ar. pol. IV., 11—13.

Quarta denique huius operis pars, quae libro septimo et octavo continetur, notionem felicitatis describit (1) bonaque externa exhibet, quibus opus sit, ut civitas virtutem et eam quae inde nascitur felicitatem possit adipisci (2), deinde rationem illustrat, quae, inter singulos homines et universam civitatem intercedat, et quidem primum, quam partem habeant illi civitatis administrandae, deinde cuiusmodi sit virtus unius hominis et reipublicae, Denique de ratione agit, qna hominum ingenia colenda sint, ut ad munera reipublicae administranda, seu quod idem denotat, ut ad felieitatem eius tuendam et augendam idonei esse possint, qua in re similia atque Plato persecutus est. Apud utrumque enim uti politica et ethica virtus eadem, ita singnlaris quoque homo nihil est nisi *ζῶον πολιτικόν*, cuius virtus nisi politica nulla exsistit (3). Qua re educatio non in singulos, sed in civitatem cadit. Eo autem discrepat, quod Plato educationi vim magis universam tribuat. Nam cum educationem ad quinquagesimum usque annum produci velit, educationem nou angustiore illo sensu, quo nos dicimus. intelligi voluisse videtur, sed vitam ipsam dicere, quippe quae quasi se ipsa educet (4). Educatio igitur apud Platonem magis est *διαγωγή*, ratio quaedam, quae vim animi intuitionis, ui ita dicam, excitet, quae animi quam perfectissimam harmoniam et concordiam efficiat, conversio, quam dieit, totius mentis ad finem Unum, philoso-

---

(1) Ib. VII, 1—3.
(2) Cap. 4—6.
(3) Ar. pol. I, 1, 9.
(4) Plat. de rep. VII., p. 540 A et B. cll. Al. Kapp, Aristoteles Staatspädagogik, Vorrede p. XXIV. sqq.

phiam. Nam uti respublica vim illam animi a Deo profectam quae per totam naturam regnat et qua omnia ad unum summum exemplar conficta esse apparet, nobis ostendit, sic notio educationis apud Platonem in eo ponitur, ut regnantes ceteros homines animi vinculo coniungant, cognitione impleant, a rebus sensuum mutationi et fluctuationi subiectis eos detrahant. Quod his declarat »*φασὶ δέ που οὐκ ἐνούσης ἐν τῇ ψυχῇ ἐπιστήμης σφεῖς ἐντιθέναι, οἷον τυφλοῖς ὀφθαλμοῖς ὄψιν ἐντιθέντες. Ὁδέ γε νῦν λόγος σημαίνει ταύτην τὴν ἐνοῦσαν ἑκάστου δύναμιν ἐν τῇ ψυχῇ καὶ τὸ ὄργανον, ᾧ καταμανθάνει ἕκαστος, οἷον εἰ ὄμμα μὴ δυνατὸν ἦν ἄλλως ἢ ξὺν ὅλῳ τῷ σώματι στρέφειν πρὸς τὸ φανὸν ἐκ τοῦ σκοτώδους, οὕτω ξὺν ὅλῃ τῇ ψυχῇ ἐκ τοῦ γιγνομένου περιακτέον εἶναι, ἕως ἂν εἰς τὸ ὂν καὶ τοῦ ὄντος τὸ φανότατον δυνατὴ γένηται ἀνασχέσθαι θεωμένη τοῦτο δ' εἶναί φαμεν τἀγαθόν. Τούτου τοίνυν αὐτοῦ τέχνη ἂν εἴη, τῆς περιαγωγῆς, τίνα τρόπον ὡς ῥᾷστά τε καὶ ἀνυσιμώτατα μεταστραφήσεται, οὐ τοῦ ἐμποιῆσαι αὐτῷ τὸ ὁρᾶν, ἀλλ' ὡς ἔχοντι μὲν αὐτό, οὐκ ὀρθῶς δὲ τετραμμένῳ, οὐδὲ βλέποντι οἷ ἔδει, τοῦτο διαμηχανήσασθαι*« (de rep. l. VII., p. 518 C. et D.) Contra educatio Aristotelis ad iuvandam agendi vim et virtutem spectat, qualis hominibus liberis digna VIII., 2. 1 et 2. Virtutem vero, in qua exercenda studia hominis altioris ingenii vertuntur, *ἐνέργειαν* dicimus, quae causae et finis sibi est conscia. At meminisse nos oportet, si de educatione dicimus, quam uterque proposuit, non nisi de civibus et regnantibus, neque vero de iis, quos natura servos Aristoteles dicit, cogitari; nondum enim eo humanitatis pervenerant, ut hominem qua homo est, liberum et aequo iure praeditum existimarent.

## B. Idea civitatis Aristoteliae.

Iam nos convertamus ad ipsam rempublicam Aristotelis breviter illustrandam, et sic quidem ut Platonicae rationem habeamus. Ipsa natura, in qua homo vivit et cuius est particeps, documentum est, omnes res, omnia animalia, omnes denique homines et invicem ad se relatos esse, et sine aliqua inter se coniunctione nihil valere (1). Hominis vero est non modo esse et vivere, sed bene et feliciter vivere. Çum tamen per se solus ad hunc finem pervenire nequeat, aliorum auxilio, omnino societate, qua homines coniungantur, opus est, ut mutua ope omnes bene vivant. At quaeritur quid sit bene vivere. Nimirum non id Aristoteles vult, ut sua quisque ad vitam sustentandam habeat parata, vel ut contra hostes et inimicos invicem nos tueamur, sed hoc potius, ut summi boni participes existamus (2). Nam uti unaquaeque res proprium suum bonum seu finem habet, quo talis neque alia est; ita singulis quoque hominibus et civitati summum bonum exstat, quod summum finem sibi attingendum existimant, felicitas (3). Ea vero et singulis hominibus et universae hominum societati praebetur, si pro sua quisque natura, cum agit, hunc finem semper ante oculos habet et quam maxime declarat, vel si agit ex virtutis seu summi morum principii ratione (4). Magni autem momenti sunt quae dicit virtutem ad to-

(1) Ar. pol. I, 1, 4.
(2) ib. I, 1, 8. 3, 19. III., 5, 13 et 14.
(3) eth. Nic. in., pol. in.
(4) eth. Nic. I, 7, 14 et 15 (ed. Michelet). cll. I, 4, 2. X, 7, 1.

tam vitam pertinere, ne quis crediderit, agi hoc loco de singnlis quibusdam virtutibus. Nam finis non est fortuitum quoddàm, sed vim habet aeternam et in semet ipsa conclusam. In eo vero nititur universae virtutis notio seu summa illius quod principium morale proposuit, quod his verbis exhibet: *ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις* (1) *προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὁρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε.*

Virtus igitur vis illa est agendi, quae a bono proposito proficiscitur, i. e. mentis *ἐνέργεια*, quae agendo apparet et sic quidem ut singulae actiones sint quasi cogitationum series in communi fine nitentes. *Μεσότης* vero *ἡ πρὸς ἡμᾶς* quae dicitur, ipsorum nostrum media ratio est, finis virtutis quatenus in naturam nostram cadit, ratio qua actio naturae nostrae consentanea (2). Agendo igitur constat generis humani et singulorum hominum summa felicitas, et ita quidem ut omnes res gestae virtutis indolem prae se ferant. Cuius vero est, omnia subsidia praebere, quibus felicitatem singuli homines et sibi et omnibus possint parare, cuius est, virtutis i. e. vitae et rationis et mentis lege dispositae desiderium in hominibus incitare? Est reipublicae. Est igitur respublica societas hominum ad summum bonum humanum et sibimet ipsi et singulis comparandum constituta. Hoc summum est argumentum, quod ut primarium finem initio statim horum librorum effatur. Politica vero doctrina ea est, quae versatur in constituendis iis in

---

(1) cf. Ar. eth. Nic. II, 6, 15. met. V, 20. cll. Trendelenburg ad Ar. de an. p. 310. sqq. Cic. Tusc. quaest. l. V. c. 13. ed. Bip.

(2) cf. Michelet die Ethik des Aristoteles in ihrem Verhältnisse zum System der Moral, Berlin 1837, p. 49 sqq.

civitate institutionibus, quae ad summam hominibus felicitatem conciliandam idoneae sint

In hoc igitur consentiunt Plato et Aristoteles, quod civitatis originem ex ipsa natura, ex hominum virium imbecillitate hauriunt, qui societate egent, ut paratis subsidiis externis ad felicitatem pervenire possint. Attamen differunt eo, quod Plato non nisi obiter hanc hominum conditionem memorat, secundum quam iis opus est natura ad vitam conservandam; videtur enim ad res exteriores pertinere, est tantnmmodo hypothesis quaedam externa, quam civitati substruendam existimat. Nam respublica Platonis ipsam ideam et divina mente petitam Unitatem absolutam exhibet. Aristoteles ab ipsa idea summatim proponenda initium facit. Uti enim respublica Platonis in ideis, sic civitas Aristotelis in natura versatur In idea res oppositae plane tolluntur, ad Unitatem rediguntur; contra natura est ἐνέργεια, quae sese ipsa quasi gignit. Civitas igitur Platonica exhibet ideam eam, qua omnes disiunctiones, quae inter mundum Intelligibilem et Visibilem intercedant, iam solutae cogitentur, atque ita vitam externam, singulorum hominum libertatem, vitam domesticam, exteriora instituta omnino tollit et ad ideam evehit. Contra Aristoteles id summum putat, ut ostendat, quomodo rerum inter se oppositarum solutio efficiatur perveniaturque a δυνάμει ad ἐντελέχειαν. Quare ἐνέργειαν, summam quasi naturae facultatem, quippe qua res fiant, sint, exsistant, ad aliud sese evolvant, initio operis, quod est de politicis rebus, posuit, et vitam humanam ab ea, quae in absoluta, ut ita dicam, Platonis republica apparet, sic separavit, ut nisi rerum humanarum cognitione plane exhausta, ad ideae absolutae cognitio-

nem perveniri nequeat. Itaque civitatem Aristoteliam, qua vita hominum describatur, quomodo instituenda sit, ut vitam beatam philosophorum sibi comparent, reipublicae Platonicae quasi complementum esse dixerim. Eo tamen altius Platone escendit, quod rebus humanis veritatem vindicavit. Neque enim cum Platone non consentit, cum hominem per se agentem et sua tantum commoda spectantem nihil proficere posse iudicavit, sed totam humanam societatem, quae rempublicam componit, vinculo uno et inseparabili continere oportere (1). Sed ipsum hoc sine singulorum hominum libertate, ita ut ex libero arbitrio agere possint, et nisi propria cuique bonorum possessio concessa sit, fieri posse Aristoteles praecise negat, et in hac quidem re a Platone vehementer discrepat (2). Qui cum in Una et absoluta quidem idea in civitate effingenda eius felicitatem poni vellet, quia per eam solam cerneremus id quod semper esset, simplex et unius modi et tale quale esset, singulorum hominum agendi libertatem admittere nequibat. Fingit enim mente societatis humanae imaginem ut infinitae potentiae Dei quasi emanationem, in qua singulorum hominum virtutem eo constare dicit, ut res gestae unum quasi symbolum sint, quod abundantiam, universam copiam internae mentis prae se ferat (3). Finem non minus sublimen Aristoteles ante oculos habebat. Probabat enim ille quidem Platonis sententiam, mentis contemplantis intuitione, quippe quae nulla re aliunde petita

---

(1) Ar. pol. I, 1, 12. cf. C. Fr. Hermann Staatsalterthümer, p. 118 sqq.

(2) Ar. pol. II, 2.

(3) Vid. annotat. de virtute Platonis, p. 27. sqq.

egeret, sed in se ipsa tota sese moveret, altius cogitari nihil posse (1). Ratus vero, eos demum homines, qui finem huius vitae, »*ἐνέργειαν κατ' ἀρετὴν τέλειαν. ἐν βίῳ τελείῳ*« agendo essent secuti, adire posse ad philosophiam, summum sibi finxit humanam societatem, cuius singulae partes ita sese exciperent, ut cum suam quaeque propriam virtutem exhiberet, partem quandam susciperet finis universi, quem Deus hominum generi in hoc mundo exsequendum proposuit. Praeclare igitur et flumen quasi orationis aureum fundens Aristoteles de argumento librorum, qui sunt de politicis rebus, sic profitetur: »*ἀνερεύνητον τὸ περὶ τῆς νομοθεσίας, καὶ ὅλως δὴ περὶ πολιτείας, ὅπως εἰς δύναμιν ἡ περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφία τελειωθῇ* (2).« Quibus verbis omnino declarat, esse eius rempublicam momentum mentis ad vitae usum relatae (ein Moment des praktischen Geistes). Namque humana natura ex partibus omnibus cognita, singulas reipublicae partes communi vinculo in unum studens sociare, summum ei finem felicitatem sibi conciliandam proponit, ideoque in externa auxilia inquirit, quae parari oporteat, ut ad eam adire possimus. Neque vero eo pervenit, ut legis moralis, quae dicitur, et legis externae, quae in externis formis societatis humanae constituendis et tuendis vertitur, discrimen faceret, etsi perfectam rationis ethicae et politicae Identitatem a Platone constitutam apud Aristotelem statuere non liceat (3). Nam cum in ethicis imaginem proponeret et summi boni, quod homines oporteret persequi et in virtutes inquireret,

---

(1) Ar. eth. Nic. X, 7, 3—6. 8. 10.
(2) Ar. eth. Nic. l. X. extr.
(3) Michelet die Ethik des Aristoteles ctt. p. 48 et 49.

quales essent per se spectatae, in politicis singulos homines societate politica coniunctos considerat eorumque vivendi agendique rationem spectat. Quamquam utriusque operis sententiae eo arctissime cohaerent, quod summa virtus singulaeque virtutes et quae inde nascitur *εὐδαιμονία*, nisi ab homine, qui pars est societatis politicae, perfici nequit; deinde quod summus finis politico in eo positus est, ut virtutem ac felicitatem civitatis et singulorum hominum et iuvet et servet. Recte quidem sensit Aristoteles, morum principia et leges civitatis, quae ad externam conditionem spectant, in Unum coniungi non posse. Quare in politicis mediam quandam rationem invenire studet, qua alterum alteri annecteretur. Statuit igitur, uti Plato Unitatem quandam, neque vero absolutam, sed humanae menti ac rationi accomodatam. Bis enim illud, quod *τὸ μέσον* dicit (1), invenire sibi proposuit, alterum quod in morum principiis, alterum quod exstaret in politicis.

At quid sibi velit *μεσότης* illa, de qua dicit, deinde quibus rebus consentiant, quibus differant Plato et Aristoteles, id uti ex ipsa ratione, qua civitatis elementa describit, sic maxime ex iis cernitur, quae de civitate Platonis disserit. Age igitur quaeramus, cuiusmodi sint, quae Aristoteles in republica Platonis reprehenderit. Num habebat, cur in eum inveheretur? Si Platonis instituta ex mente Platonis reprehendere, institutiones ab eo propositas non ad certum quendam finem esse perductos ostendere volebat, tum non recte, immo iniuste egit. Si vero suam ipsius rationem maxime spectabat, tum certe

---

(1) Plat. Politic. p. 284.

quaecunque reprehendit, recte sese habent. Itaque consentimus quidem G. Pinzgero sic disputanti (1): »Id enim quod Aristoteles iam neglexit, ut scilicet ante omnia quaereret, quid Plato in Politia spectaverit et quo consilio iam quam finxit optimam civitatem descripserit, id ii quoque qui Platonem defendere conati sunt (2), omiserunt. Ita factum est, ut de singulis obiectionibus multa quidem non male in utramque partem dissererentur, non vero omnis reprehendendi occasio adversariis praecluderetur.« Iis vero non assentior, qui contendunt, id quod etiam in Pinzgerum cadit (3), Aristotelem non plane intellexisse ea quae Plato voluerit, ne loquar de iis, qui odio et invidia adductum eum vituperasse et calliditate quadam Platonis doctrinam pervertisse asseverant (4), quae sententia est eiusmodi, ut vix refutationem desideret, Persaepe enim Platonem in scriptis suis laudat et ita quidem, ut cum eo consentiat idque in rebus non inferioris momenti, veluti in eth. Nic. I, 4, 5, ubi respicit librum VI. extr. reipublicae Platonis. Vituperat idearum doctrinam, veluti met. XII., 6. in iis, ubi dicit, Platonem τοῦ esse, quae sit notio, rationem non habuisse; cave tamen existimes, Aristotelem, etiamsi interdum sit severior iudex, ut fuit, Platonem non intellexisse. Quid?

---

(1( cf. G. Pinzger in libro „de iis quae Aristoteles in Platone reprehenderit,“ prolegom. p. VIII.

(2) cf. Schlosser in notis ad versionem Ar. pol. p. 86—101.

(3) l. l. pag. 79.

(4) Fülleborn comm. ad versionem Garvianam p. 191—193. Montescuvius de l'Esprit des Lois, l. IV., c. VIII., cll. l. XXIX., c. XIX. Aristote voulait satisfaire tantôt sa jalousie contre Platon, tantôt sa passion pour Alexandre.“

Aristotelem Platonem non intellexisse? Ridiculum est dictu. Quid quaeso impedivit eum, quominus ea, quae nisi in transcursu non commemoret, leviter tantummodo et obiter attingeret? Non enim solum in his de republica libris, sed in aliis quoque scriptis Aristoteles ita reprehendit Platonem, ut simpliciter, quibus rebus ipse dissentiat de eius praeceptis, ostendat, causis, quibus appareat, quatenus illa reprehensio revera in Platonem cadat, adiectis omnino nullis. Ubique non nisi spectabat suae et illius doctrinae oppositionem, quae quanta fuerit, supra a nobis expositum est. Reprehendit Aristoteles Platonem, ut qui rempublicam ex omni historiae et humanarum rerum motu auferret, quod quam civitatem Plato condiderit, ea careret certis quibusdam fundamentis ex natura rerum sumtis. Reprehendit in Platone dicendi quoddam genus incertum, quo timebat, ne sententiam suam profiteretur (1), neque omnino volebat *παραδείγματος ἕνεκα* in rebus politicis disputari (2); sed omnia statuit re ipsa comprobanda esse, et omnia quae universe disputarentur, ad singula referenda (3). Itaque in iis, quae de mulierum liberorumque communi possessioni disserit, non id Platoni vitio verterit, quod ille non causas idoneas addiderit, quibus commotus communionem illam institui velit, sed id tantum probare voluerit, totam rem non esse naturae humanae consentaneam. Absolu-

(1) Plat. de rep. V., p. 453. D. „ἄν τε εἰς κολυμβήθραν μικρὰν ἐμπέσῃ ἄντε εἰς τὸ μέγιστον πέλαγος μέσον. p. 473 D.

(2) Plat. de rep. p. 472 C. Maxime vero reiecit rationem illam de hisce rebus disputandi, quae iis verbis exprimitur, quae p. 473 A. leguntur.

(3) Ar. pol. III., 5, 4.

tam enim Unitatem, ob quam Plato illa instituta proposuit, hominibus censuit attingi non posse. Huc spectat egregium illud Aristotelis in polit. II., 1, 8 et 9, ubi respexit locum in rep. Platonis V., p. 462 B et C. Hoc enim dicit Aristoteles, vocem πάντες paralogismum continere. Nam uti unusquisque per se habet naturam, quam sibimet ipsi propriam in humana societate studet vindicare, ita vehementer quoque tenetur desiderio, ut propriam aliquam rem possideat, id quod egregie observavit Aristoteles; (II. 2, 6). Quamvis igitur, inquit, maxime severae sint leges, quas Plato tulit, ut φιλαυτία quaecunque supprimatur, tantum tamen abest, ut hoc possit revera fieri, ut eo fortius singulos capiat desiderium propriae possessionis. Quare recte sese habent illa quae leguntur II., 1, 9. (cll. II., 1, 17 extr.) (1) Vere deinde Aristoteles egit, quod talia instituta, qualia Platonem statuisse vidimus, reiicere et absolutam illam cum ea Unitate, quae hominum naturae magis conveniret, commutare studebat (II., 2, 5)' Nam si cuique licet, proprias tenere possessiones atque agere ex libero arbitrio, et si id potissimum spectat, ut, quaecunque facit, ea reipublicae

---

(1) Minime possumus assentiri Pinzgero, qui p. 39. ita de hoc loco disserit: „Causam huius sententiae ipse (scil. Aristoteles) non addidit (cf. II., 1, 7. 2, 9. cll. Plat. de rep. III. p. 416), quare per se iam levior videtur haec obiectio. Neque satis accurate Platonem inspexisse videtur (? ?), quippe qui bene ostenderit, quomodo fieri possit, ut omnes omnia sibi communnia existiment habeantque," Aristoteles sumsit, omnia illa Platonis instituta ab hominum natura aliena esse; itaque etiam causas, quibus Plato ea defendit, idoneas existimare non poterat. Sed Aristoteles errasse nobis videtur propterea, quod putabat, Platonem omnia quae proposuerat, revera perfici voluisse.

expediant, tum sane fatendum est, bene saluti civitatis consultum esse. Eo enim profecto constat vera hominum animi libertas. Quod vero politicam Platonis ideam plane neglexit neque ullam fere illi veritatem concessit, nullam omnino pulcherrimi illius morum principii, quod in ethicis pertractavit, *τοῦ μέσου*, in disputando quidem rationem habuit, et recte Aristoteli, quod ipse in Platone reprehendit, *»τὸ ἐν τοῖς λόγοις ἐριστικοὺς ποιεῖν συλλογισμούς«* (II., 1, 9.), obiici poterit.

---

## C. De reipublicae Aristoteliae primis elementis atque ordinibus.

Haec fere est, quae summa reipublicae notio Aristoteli proposita fuit. Iam quaerendum est, quae sit civitatis origo et quae sint illa quae dicit *»τὰ ἐλάχιστα μόρια«* seu prima civitatis elementa. Quae ubi exposuerimus, in partes nobis civitatis regendae seu ordines, qui efficiunt civitatis quam dicimus *ἐνέργειαν* seu actionem, paucis inquirendum esse iudicavimus.

Civitatis origo ex Aristotelis sententia ex ipsa natura est repetenda. Duo enim sunt rerum principia, quibus apparet, totam naturam divinae esse originis, quarum altera est vis propagandi, altera vis conservandi. Inde fit coniunctio aliarum rerum, quae naturali impetu ad gignendum feruntur, ut aliud quid sibi simile relinquant; aliarum deinde earum, quae ad regnandum earum-

que quae ad obiendum factae sint. Quibus omnibus arctissimo vinculo inter se coniunctis efficitur ut exstet totius naturae concordia. Idem in homines cadit, qui cum singuli efficere nihil possint, requiritur plurium societas. Primum igitur nascitur domus seu familia, in qua triplex ratio invenitur: maris et feminae, patris et liberorum, domini et servi coniunctio. Unde tres vivendi rationes efficiunter: *γαμική* i. e, *πολιτική*, *τεκνοποιητική* i. e. *βασιλική*, denique *δεσποτική* (1). Condita re familiari facile intelligitur, ampliorem condendam esse societatem. Unde fit, ut iunctis pluribus familiis pagus, pagis inter sese iunctis respublica sensim ac pedetentim condatur (2). Quae de hac re Aristoteles disseruerit, omnia sunt maximi momenti; sed non omnia omnium tulerunt calculum. Quo imprimis ea pertinent, quae de dominis noster et servis disputavit, quae res ut saepissime agitata est, ita novam semper disputandi copiam praebet.

Nam cum hominum felicitas in agendo posita sit, neque vero omnes pari modo mente et virtute instructi sint, alii exsistant necesse est, qui mente creatrice agant, alii qui ea quae illi excogitarunt, exsequantur iisque opem ferant. Habemus igitur hominum naturam in duas partes divisam, naturae dominae et servae. Aristotelem, ut iam Plato fecit, aperte profiteri videmus, dissimillimas esse in singulis hominibus facultates animi; munera vero, quibus homines fungantur, non semper recte distributa esse uterque dicit, cum saepenumero imperent, quibus desit imperandi facultas, multi contra serviant, qui ad

(1) Ar. pol. 1., 2. 1 et 2.
(2) Ib. 1., 1, 6—8.

regnandum sint maxime idonei. Tres vero servitutis notiones Aristoteles statuit, quae tamen non plane diversae sunt, sed eiusmodi, ut quam priorem in medium proferat definitionem, eam deinde accuratius explicet. Primum servilem ait naturam omnibus iis rebus inhaerere, quae non possunt mente uti, sed modo corpore (1). Alio loco ea, quae dominus agit, a servilibus negotiis sic separantur, ut servum dicat rem animatam quidem, at fracti animi et abiecti et arbitrio carentis suo; instrumentum dicit et partem domini, qui quasi totum exhibeat (2). Tertiam denique definitionem exhibet, ubi quae ante de universa servi natura dicta sunt, in civitatem referuntur. Hac re sane Aristotelis doctrina a Christiana toto coelo distare videtur (3). Christiana enim religio omnibus eandem virtutem innatam esse praecipit. Nostrum autem esse, summa viriumcententione id agere, ut hanc virtutis facultatem, ut ita dicam, a Deo optimo maximo datam, quantum possimus, colamus Deique fiamus quam simillimi. Aristoteli vero placuit, non eandem esse omnibus hominibus virtutem neque fieri unquam posse, ut omnes ad eandem animi perfectionem pervenirent, aliis datam esse facultatem, ut ad summam virtutem aspirarent, aliis vero praescriptos esse certos quosdam fines, ultra quos progredi non liceret. Aliis natura impositum

---

(1) Ib. l., 1, 4. cll. l., 2, 8.

(2) Ar. pol. 1, 2, 6. cll, l., 2, 7. l., 2, 13. 2, 18 2, 22. cll. met. l., 2. XII, 10 cll. Kapp, Aristoteles Staatspädagogik p. 264. sqq.

(3) l., 2, 20. In his iure aliquis Aristotelem carpat, quippe qui debito magis theoriam, neque vero vitae consuetudinem et civitatum mores secutus sit. Cll. Fülleborn ad versionem Garvianam T. II., p. 135—165.

esse dicit, imperare, aliis servire et obedire. Haec enim ex Aristotelis sententia iustitiae notio est, ut unusquisque eum locum in civitate obtineat, qui pro virtute ea, quam natura accepit, ei merito contingere debet et ut hoc consilio in civitate agat. Quod ut fiat leges (1) ferri necesse est, quae constituant, quid sit *τὸ δίκαιον*, i. e. *τὸ ἴσον* seu *τὸ ὀρθόν*. Nam iustitia est *ἐννομία* seu *ἰσότης* quaedam (2). Uti igitur aliis locis politicam et ethicam separandam existimavit, sic hoc loco, qui est de servis, utriusque Identitatem posuit. Sed revertamur, unde digressi sumus. Servos eodem modo a dominis differre declarat, quo bestiae ab hominibus; utrique enim

---

(1) Ar. pol. III.' 7, 13. 11, 6. „ὥστε δῆλον, ὅτι τὸ δίκαιον ζητοῦντες τὸ μέσον ζητοῦσιν· ὁ γὰρ νόμος τὸ μέσον." IV, 6. 3, cll. Montescuv. de l'Esprit des lois in. „les Lois, dans la signification la plus étendue, sont les rapports nécessaires, qui dérivent de la nature des choses," et paullo post „il y a donc une raison primitive; et les lois sont les rapports, qui se trouvent entre elle et les divers êtres, et les rapports de ces divers êtres entre eux cll. Plat. de leg. III., p. 693 C. p. 701 E. IV., p. 708 E.

(2) Iustitia Aristotelia (cf. eth. Nic. V. 1, 8. 13.), ut ita dicam, uti apud Platonem, necessarium est fundamentum ipsius civitatis, qualis re vera exstat, vivendi agendique summa lex est atque ratio (Ar. pol. III., 7, 8). Uterque vero iustitiam virtutem universam designat, id quod Aristoteles in eth. Nic. V., 1, 15. enunciat. Discrimen vero inter virtutem universam et iustitiam istam generalem, quam dicit, haud magnum interesse videtur. Nam iustitia ad ipsas res gestas, et ad hominum inter se societatem, virtus ad interiorem animi legem seu conscientiam, qua sic neque aliter agimus, refertur. Quare iustitiam certo quodam modo χρῆσιν dicit. Iustitia vero Platonis, quae in animi facultatum consensu nititur, quomodo ad agendum, omnino ad ipsas res humanas referenda sit, egregius ille philosophus non ostendit. Sed hoc Aristoteli relictum erat. Quam arcte igitur utriusque viri de iustitia doctrina cohaereat, nemo est quin videat,

tantum ea faciunt, quae alii mente creatrice excogitarunt; itaque instrumenti instar, res sunt possessae (I, 2, 5. cum annotat. Schneider.) ad certum quendam usum idoneae. Nihil servus habet, quo bestiam superet, nisi animam, qua rationis fit particeps, quod colloquuntur inter se, et quod quae senserint dicendo exprimere possunt. Neque tamen unquam ad summam rationem perveniunt. Quamvis autem non infitias eat, ratione quemque hominum praeditum esse, tamen negligenter tantum animi cum corpore coniunctionem declarat, immo perfectam utriusque separationem proponit. Videtur quidem Aristoteles in his humanitatis fines quodammodo excessisse; at fatendum est, istam servi notionem veram esse ex indole Graecorum haustam (1).

---

(1) Recte Göttlingius V. I observavit, tertium ordinem in republica Platonis plane eodem munere fungi ac servos Aristotelis, cf. comment. de servitutis notione apud Aristotelem quae commentatio edita est in annalib. acad. Ienensis ed. Eichstadii, Ienae 1823, p. 457. sqq. Servitus a Platone et Aristotele proposita eadem est, quam per totam priscam historiae Graecae aetatem invenimus, natura magistra quasi constituta, quam vernacula lingua significare licet „dienender Stand." eique ordini opposita quem dixerim „Herrenstand". Quae δεςποτεία (Ar. pol. III., 4, 4) in veterem aristocratiam cadit. Illa vero Helotum et Penestarum servitus ei conditioni respondet, quam appellamus „Leibeigenschaft." Illi quos Aristoteles servos esse voluit, propter minorem ingenii et virtutis facultatem servi, hi Helotes et Penestae vi armorum subacti erant. Sed cum magis magisque mitiores fierent et humanitati cederet morum ferocitas, servitus illa φύσει constituta, qua omnes ordines inferiores priscis temporibus vivebant, sensim ac pedetentim sublata est eiusque locum obtinere coepit varia hominum ordinum divisio. Quod ipse noster profitetur narrans, eos qui olim servorum instar fuissent, opifices postea, cum democratia maxime vigeret, eo pervenisse, ut civitatis muneribus fungerentur (pol. III., 2, 8).

Attamen sibi ipse nonnulla obiicit (I, 2, 16 — 19), quae quidem ita sunt comparata, ut certi nil inde efficiatur et ut in semel exhibita notione acquiescat. Id tamen nobis intelligitur, Aristotelem ipsum argumentationem illam de servitute, quae natura nonnullis esset destinata, parum sufficientem existimasse. (I. 2, 16 maxime iis vero, quae I, 2, 20. in. leguntur). Nil impedit, quominus fateamur, his omnibus locis, qui sunt de servitute, Aristotelem eodem modo ac Platonem errasse. Postulat enim ille, ut hominum sortes secundum mentis et virtutis facultatem constituantur. Quamquam ipse concedit (I, 2, 19), »ἡ δὲ φύσις βούλεται μὲν τοῦτο ποιεῖν πολλάκις, οὐ μέντοι δύναται.« Utrumque tamen, maxime vero Aristotelem primam servitutis originem ex ipsa animi facultatum conditione recte statuisse, non negandum est.

Exhibuimns itaque non levissimam partem familiae et universae civitatis Aristoteliae, rationem dico quae intersit inter servum et dominum. Servis quodammodo opponuntur illi, qui partes civitatis administrandae suscipiunt, cives, ex quibus ipsa civitas componitur. Cuiusmodi ergo sint, quos Aristoteles cives vocaverit, ante omnia nobis quaerendum est. Est autem locus ille, quo de cive agit, inter eos, ubi legis externae et legis ethicae separationem facit, quorsum etiam spectat insequens disputatio, num boni cives iidem etiam sint viri boni necesse sit. Quis civis sit, facile est dictu. Nam cum civitatis natura actione seu ἐνεργείᾳ maxime constituatur, cives ii sunt qui actionem politicam suscipiunt, i. e. qui iurisdictionis et civitatis regendae munere funguntur (1).

---

(1) Ar. pol. III, 1, 5,

Nam ii maxime reipublicae felicitatem efficiunt (1). Excluduntur igitur senes, peregrini, qui civitate donati sint, servi iique qui *μέτοικοι* dicuntur neque sine auctore publice agere possunt (2), excluduntur denique feminae quoque et liberi. Altera definitio, cives eos esse, qui a patre et a matre cives essent, secundaria est (3). Quaerit deinde noster, num eadem civis sit virtus, quae viri boni. Negat. Bonus enim civis est, qui institutionem, quae exstat, reipublicae quam maxime tuetur, et qui aeque bene inferiores regere ac superioribus obedire valet. Virum autem bonum non semper civem bonum neque civem bonum etiam bonum virum esse posse dicit (4). Quid ea de re nobis constituetur? Si notionem et finem reipublicae Aristoteli propositum tenemus, alterum ab altero separare non licet. Nam societas politica summum bonum sibi posuit omnium et singulorum felicitatem; ea vero nascitur »*ἐνεργείᾳ κατ' ἀρετὴν τέλειαν.*« Itaque, ubi de civis notione exponit, de optima civitate tantum cogitari potest. Quare bonus civis etiam vir bonus sit necesse est. Nam si in optima civitate alia virtus esset boni civis, alia virtus boni viri, finis reipublicae propositus attingi non posset. Non igitur quadrant, quae III, 2, 2. leguntur. Nam quae ibi statuit, non admittit ea quam ubique statuit politicae et ethicae inseparabilis coniunctio. Ceterum quod de civium indole qualis esse deberet, alio loco disputat, praeclarius dici nihil poterat, »*τρία δέ τινα χρὴ ἔχειν τοὺς μέλλοντας ἄρξειν*

---

(1) VII, 8, 2. cll. Cic. de rep. l. IV, c. 3. V, c. 6.
(2) Ar. pol. III, 1, 3 et 4.
(3) Ar. pol. III, 1, 9.
(4) III, 2, 2 et 3. cll. eth. Nic. VIII, 9. pol. VII, 12, 5.

*τὰς κυρίας ἀρχάς, πρῶτον μὲν φιλίαν πρὸς τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν, ἔπειτα δύναμιν μεγίστην τῶν ἔργων τῆς ἀρχῆς, τρίτον δ' ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην* (1).« Quae vero sequuntur, non quadrant. Addit enim explicandi gratia *ἐν ἑκάςτῃ πολιτείᾳ τὴν* (scil. *ἀρετὴν καὶ δικαιοςύνην*) *πρὸς τὴν πολιτείαν· εἰ γὰρ μὴ ταὐτὸν τὸ δίκαιον κατὰ πάσας τὰς πολιτείας, ἀνάγκη καὶ τῆς δικαιοσύνης εἶναι διαφοράς.«* Recte se habet ista conclusio. Sed cum non nisi una sit iustitia, quae vera dici potest, — nam de generali modo iustitia haec omnia dicta sunt, — existere non possunt »*τῆς δικαιοσύνης διαφοραί.*« Etsi vero boni civis et viri boni virtus ex Aristotelis verbis eadem sit necesse est, inferiores tamen sunt ipsis regnantibus. Regnantibus enim natura contigit intelligentia, civibus autem tantummodo recta opinio (2). Satis ergo nobis demonstratum, Aristotelem recte quidem sensisse de virtute politica a morali separanda; neque vero sententiam inde a veterrimis temporibus omnibus Graecis innatam, leges civitatis et leges ethicas easdem esse, plane relinquere potuit.

Quae libro quarto de ordinibus philosophus disputat (2), cum iis quae de civis notione ab eodem allata,

---

(1) De regnantibus cogitasse videtur; eadem tamen etiam de cive intelligi debent, (V. 7, 14. cll. 20). Praeclaram igitur sane sententiam tulit noster dicens, boni civis esse, institutionem reipublicae diligere et fovere. Neque aliter nostra aetate egregius quidam scriptor professus est, Montescuvius l. l.; l. V, cap. 2. „la vertu dans une république est une chose très simple; c'est l'amour de la république," et postea, „l'amour de la patrie conduit à la bonté des moeurs, et la bonté des moeurs conduit à l'amour de la patrie."

(2) Ar. pol. III., 2, 11.

(3) IV., 3, 11—14.

facillime coniungi possunt. Etenim Aristoteles octo partes seu ordines civitatis constituit: agricolas, opifices, mercatores, operarios, milites, eos deinde qui λειτουργοῦσιν (1), i. e. qui publicis quibusdam muneribus fungebantur, quae impensas requirunt, veluti iis quae appellantur trierarchia, choregia et gymnasiarchia, denique magistratus et iudices. Primi ordines inferiores sunt et ad naturam servam pertinent (2). Nam omnem cauponationem, tenuem mercaturam, immo agricnlturam Graeci vile negotium et cive indignum existimabant (3). Itaque agriculturam servis tradebant (4). Quod vero alio alio loco Aristoteles dicit, populum, cuius plerique agricolae essent, maxime idoneum esse, qui πολιτείαν, (quae dicitur Freistaat), institueret (5); id in tempora posteriora historiae Graecae cadit, quibus aristocratia in democratiam mutata est. Prioribus temporibus etiam studia artificum servilia negotia habebantur(6). Quos novissimo noster loco posuit magistratus et iudices, eos tribus fungi vicibus censet. Alii enim in deliberatione, alii in magistratuum electione, alii in iudiciis versantur (7). Platonis sententiam, suum quemque agere oportere, non tam certe eloquitur; sed dicit tantummodo praestare, ut hoc fiat, fieri tamen etiam posse contrarium, ita ut interdum unus

(1) cf. Wachsmuth Griech. Alterth. I., 1, p. 191.

(2) VI., 4, 3. „ἐκεῖ δὲ τέτταρα μέν ἐστι μέρη μάλιστα τοῦ πλήθους, γεωργικὸν βάναυσον, ἀγοραῖον. θητικόν.

(3) Ar. pol. VII., 7, 5. cll. Plat. de legg. VII. fin.

(4) Ar. pol. VII., 9, 9. cll. Plat. de legg. VI., p. 777 C. Ar. oecon. 1, 5.

(5) Ar. pol. VI., 2, 1.

(6) Ib. II., 4, 13. cll. Xen. memor. I. IV.

(7) Ar. pol. IV., 11 et 12.

quidam homo miles, agricola et artifex esse possit (1). Ultimae illae partes illam ipsam repraesentant, quam dicit πολιτείαν (2), ipsam civitatis ἐνέργειαν, quas sic illustrat, ut non de optima reipublicae forma modo cogitet, sed omnes ante oculos habeat. Ceterum summa cum subtilitate in omnes res inquirit, quae ad illam civitatis ἐνέργειαν spectant, de quibus singulatim disputare a commentationis nostrae consilio abhorret. Maxime vero ordines reipublicae Aristoteliae a Platonicis diversi sunt. Neque enim Plato in rationem politicam inquirit exque ea munera, quibus quisque fungatur, tribuit; sed sunt hi civitatis ordines elementa ex ipsius animi natura depromta. Virtutes vero, quas describit, cum ordinibus individua quadam Unitate coniunctae sunt, et quo constet animi partium ἐνέργεια, exhibent. Sunt quodammodo ἕξεις, internum civitatis fundamentum. Nam cum nullus eorum, qui ante Platonem philosophati sunt, de civitate sic cogitaret, ut eius ἐνέργειαν ex natura animi explicaret; Plato haud dubie optime de philosophia meruit, quod veram vim societatis politicae ante oculos posuit. Aristoteles postea alteram partem doctrinae politicae, artem civitatis regendae et administrandae adiecit. Ipsos quidem ordines, cuiusmodi sint et quid iis agendum sit, non satis distinxit; neque qui sint illi, quos magistratus dicit. Sed hoc tam accurate exhibere noluit hoc libro, quippe cuius consilium in eo esset positum, ut ideam civitatis constitueret et singulas quasdam observationes ad rem politicam spectantes expromeret. Secernit tamen

---

(1) IV., 3, 15.
(2) III., 1, 1. 4, 1. 5, 1. IV., 1, 5. 3, 3. 11, 1.

elementa civitatis, qnae quasi eius notionem et naturam denotant, (τὰ ἐλάχιστα μόρια), ab iis quae μέρη dicit, quae ipsius reipublicae administrandae participes sunt; contra apud Platonem partes animi seu facultates partes civitatis constituuntur.

---

## D. De civitatis institutionum generibus.

Iam ut adsit felicitas illa, quae civitati comparatur virtute seu media quadam morali ratione, quam dicit μεσότητα, necesse est, etiam instituta externa, ipsas formas seu institutiones reipublicae ad indolem hominum et temporis, quo vivunt, instructas esse. Haec est illa quam lingua vernacula dicam »die politische Mitte,« in qua elaborasse, ita ut non tantum proponeret ideam, sed eam ad conditiones temporum redderet consentaneam, non inter minima Aristotelis merita fuit. Quapropter disquisitio, quam inde ab initio libri tertii ad finem usque sexti de Graecarum civitatum formis et de optima civitate instituit; multo maioris nobis est momenti, quam ea omnia, quae Plato eadem de re in libro octavo et nono reipublicae disputavit, si quidem formae, quales Plato describit, nihil nisi gradus describunt, quibus civitates illae ab idea optimae civitatis, i. e. ab idea absolutae Unitatis et Dei similitudinis desciverint. Aristoteles vero in politicis sic egit, ut cum ipsis principiis philosophiae politicae simul traderet politicam omnium civitatum

historiam, nec non summae nobis esset utilitatis et voluptatis, nisi et hi ipsi de politicis rebus scripti libri, qui nobis traditi, mendis et lacunis foede deformes, alii vero permulti, qui ab eo varie ac copiose de civitatum Graecarum institutionibus perscripti sunt, plane deperditi essent. Neque tamen illorum librorum corruptio tanta est, quantam multi viri docti existimarunt, ut non liceat veram scriptoris sententiam ex verborum involucris eruere. Quamquam singula persaepe tam spinose tamque argute disputata sunt, ut nobis, quae est virium nostrarum imbecillitas, lucem iis afferre non liceat; sed hoc non impedit, quominus, in his maxime disquisitionibus, quae sunt de reipublicae generibus, Nostrum acumen ingenii splendidissimum probasse, fateamur. Verum enimvero id efficere volebat, ut examinatis rerum causis et conditionibus mediam quandam inveniret civitatis formam, in qua omnium, quae bona quaeve mala essent, iusta et aequa ratio esset habita, quia omnis civitatis forma, uti omnia humana, cum non essent absolute perfecta, non modo bona, sed etiam mala contineret. Aristoteles non nisi philosophus erat, et quae singularum rerum veritas esset atque virtus indagandi cupidus, qui omnium rerum, etiam quae essent levissimae, cognitione opus esse existimaret, si quis accuratum de aliqua re examen instituere vellet. Sic uti in omnibus, ita in his quoque libris egit. Plato autem, quem divino philosophiae fervore quasi flagrantem cognoscimus, Graecorum indolem et divinam naturam admiratus eos a morum atque ingeniorum depravatione avocare et ad veterum ingenuitatem adducere voluit. Unde absolutae illi Unitati, quam in idea positam proposuerat, formas civitatum Grae-

carum comparat easqne maximis animi perturbationibus, cuiusque generis vitiis, omni humanarum rerum imperfectione impletas esse ostendit; imagines et descriptiones exhibet, neque vero in illarum naturam et notionem inquirit. Iam vero cum perfectam politicae et ethicae Identitatem poneret, ideoque universam reipublicae imaginem ad comparationem unius hominis expromeret, sic etiam in iis fecit, quae de civitatum generibus disseruit. Contra ubique locorum animadvertere licet, quanto singularum rerum penitus perspiciendarum atque explicandarnm desiderio in perscrutandis iis, quae per antiquitatem vigebant, politicis rationibus Aristoteles flagraverit. Quae cum ita sint, vehementer errant omnes interpretes, qui disquisitiones politicas Aristotelis utilitatem et proxime sita spectare existiment (1).

Profectus enim est ab illo argumento, unamquamque rem bonum aliquod, i. e finem continere (2), atque ita etiam diversis formis reipublicae suam cuique virtutem inesse oportere censuit, quam si undique illustraret et cum ceteris aequa ratione coniungeret, tandem mediam aliquam civitatis formam invenisse sibi visus est, quae ex interiore causarum connexu composita esset. Sic quidem eam optimae civitatis ideam, quae non modo mentis rationibus, sed quae ingeniorum quoque conditioni, qualis tum temporis erat, ac plerorumque naturae esset consentanea, exhibere conatus est.

Age sis quaeramus, quomodo uterque philosophus

---

(1) cf. Ritter Geschichte der Philosophie, t. III., p. 367. Facile tale argumentum tum re ipsa, tum ipsa philosophi nostri sententia refutatur (Ar. pol. III., 4, 5).

(2) Eth. Nic. in.

consilium, quod declaravimus, in civitatum generibus constituendis persecutus sit et quomodo conditionum Graecarum rationem habuerit. Ut igitur a Platone incipiamus, civitatis institutionum disputationem ab exponenda natura regnantium proficisci debere contendit. Hi enim tantummodo summam notionem civitatis imitando effingunt. Nam dicit ad regnandum neque eos esse idoneos, qui ideam boni non intuiti careant summae absolutae Unitatis cognitione ideoque quomodo rerum vera ratio habeat non perspexerint, neque eos qui in una philosophia modo versati humanarum rerum nullam plane rationem habuerint (1). Hac enim re civitatis *εὐδαιμονία* nititur, quae virtutibus civitatis et maxime iustitia singulorum hominum atque reipublicae viget. Ad summam vero perfectionem nisi eorum, qui philosophiae sapientia imbuti sunt, vi ingenii adduci nequit. Statuit igitur summam optimae civitatis ideam eam, quam sub ideae boni imagine absolutam Unitatem descripserat et ita quidem, ut omnes partes pariter pervaderet, quae quidem quomodo in civitate adhiberi oporteret, non significavit. Neque vero hoc in iis, quae de bonorum et mulierum communione disseruit, factum esse confirmare licet, uti superius probare conati sumus. Quibus de rebus tam haesitanter et tam timide professus est, ut de sententia nobis probata non dubitandum sit. Iam profectus a summa omnium rerum quae visae sunt et acceptae sensibus animique notionum atque rationum Unitate quam summam animi perfectionem depingit, — neque ullius rei nisi huius virtutis Dei similis desiderium hominibus initio inna-

---

(1) Plat. de rep. VII., p. 519. C.

tum fuisse docet: — gradus describit, quibus sensim animi illa et virtutis perfectio ex civitatibus et ex singulis hominibus disparuerit (1). Si vero regnantes non sunt vere philosophi, quales Plato vult, summa cognitione impleti, deest quoque virtus externa, quae suo quemque munere fungi iubet. Huiusmodi gradus, si ab optima civitate proficiscimur, quinque exstant et totidem in ipso animo (2). Nominat enim primum aristocratiam, quae interna vi a monarchia nullo modo, sed externa tantum conditione differt (3). Sub una igitur notione duo haec genera comprehendit, cum eius non intersit, civitatum institutiones, quot et quales re vera exstiterint, enumerare et explorare, sed omnes ad unius ideae conspectum amplecti. Num vero unus an plures civitatis gubernacula teneant, nihil refert, dummodo principes philosophi sint. Proximus porro gradus, qui in civitatum seu generis humani historia animi apparet, eo cernitur, quod hominibus non amplius hic bene agendi finis videbatur, ut adipiscerentur eam, quae prima in natura quaeque ipsa per sese expetenda esset, vitam beatam in una animi virtute positam, et cum ii, qui civitatem regunt, non amplius philosophiae cognitione impleti agunt, sed propriae imbecillitatis immemores propter virtutis praestantiam externos honores et praemia sibi arrogant et honoribus certant. Haec est quam timarchiam seu timocratiam dicit (4), cuius momenta ex unius hominis animo

---

(1) Plat. de legg. VII., p. 816 D. E.
(2) De rep. IV., p. 444 C. VIII., p. 544 E.
(3) Ib. VIII., p. 544 D.
(4) VIII., p. 545 B — 548 C.

ad civitatem transfert. Hunc primum recessum ab idea primaria et a iustitia virtute summa significavit. Tertius deinde gradus est oligarchiae (1), ubi praeter honorum capessendorum cupiditatem etiam avaritia regnantium animis potitur. Procedit igitur Plato ab alio ad aliud, perinde ut causa postulat, et satis aperte declarat, hominum naturam, quae ad vitia et errores huius mundi conversa sit, civitatem ad exemplum divinae perfectionis conditam non admittere. Vis autem oligarchiae ubi nimis in civitate praevalet, ita ut omnium, etiam egentium animi divitiarum summo studio teneantur, oligarchica civitate perversa democratia oriatur necesse est. Iam vero pluribus usque vitiis ex divitiarum et honorum cupidine enatis, omne vinculum, quod eo usque externa saltem specie homines inter se coniungebat, plane dirimitur diremtaque nascuntur factiones, quarum alia aliud genus civilium institutionum tuetur. Unde fit ut inter se pugnent, usque dum unus existat, qui exteriori quadam vi et facultate agendi omnes superet et qui crudelitate, violentia blanditia atque diversi generis auxiliis per aliquod tempus summum imperium teneat. Hanc reipublicae formam prorsus anarchicam tyrannidem dicimus. Imagines itaque habemus formarum, quibus Graeciae civitates institutae erant, quas formas Plato sic depingit, ut suae civitatis ideam ante oculos habeat et quantopere vitae usus et consuetudo in illis regnantes a perfectione absint absoluta demonstret.

Aristoteles vero eo progressus est, ut ideam civitatis generi humano consentaneam, non tamen eam caren-

---

(1) P. 550 C 553 A.

tem altiori consilio proponeret. Summum autem in civitate ab Aristotele condita est mentis ἐνέργεια, quae finem agendi spectat et societatem humanam usque eo corroborat, ut eam illis virtutem tribuat, qua una vita omnis constituta sit. Hoc modo Unitas et consensus partium civitatis nascitur, in qua singuli summo omnium bonorum libertate fruentes pro sua quisque indole saluti civitatis consulunt. Ex qua Aristotelis sententia, quam supra fusius declaravimus, patet, quomodo iis, quae de optimae civitatis notione disputabat, historiam civitatum implectere potuerit, ita ut earum formae arctissimo vinculo essent coniunctae et prior forma iam posterioris elementa continere videretur. Cum igitur optimae formae ceteras opponeret et quomodo ab illa discreparent, accuratius ostenderet, rationem, qua Plato formas istas contemplatus erat, Aristoteles servabat, non ita tamen, ut eas, prouti παρεκβάσεις essent optimae civitatis, plane reiiceret, sed ita ut interiorem earum connexum exploraret. Nam primum omnibus civitatum formis et optimis et infimis aliquod bonum ac laude dignum inesse declarat. Deinde vero similiter Aristoteles cum moveri, ut omnium tum quae sensibus accipi tum quae mente intelligi possunt universitatem, sic reipublicae formas doceret, priori posteriorem, posteriori priorem iungi, optimam autem omnes in se continere profitetur.

Iam igitur, ratione, qua disquisitionem de formis reipublicae instituit, cognita, aggrediamur ad ea, quae Aristoteles de hac gravissima parte rei politicae disputavit, accuratius cognoscenda. Attamen cum in iis, quae de formis civitatis a Platone exhibitis disseruimus, ipsarum formarum enumerationem cum ratione, qua eas con-

nectit, coniungere liceat, in iis quae de Aristotele nobis dicenda erunt, utrumque separari oportet. Primum igitur de universis quibusdam, in quas fusius inquirit, sententiis politicis dicamus, quia ipsa civitatis formarum expositio in iis nititur; deinde vero quae sint, breviter moneamus. Totam enim historiam Graecorum una imagine complectendi difficultas in multarum factionum et turbarum, quae inde ortae sunt, turba dissolvenda est posita; omnesque fere, maxime pugnae civiles propter perpetuam eorum qui a partibus democratiae vel optimatum stabant discordiam natae sunt. In hac difficultate eruenda tota, quam in libro tertio legimus, Aristotelis disputatio vertitur, eoque quaestiones, quas iniicit, omnes tendunt. Nam quaerit, num praestet, unum an plures summam potestatem tenere (1), deinde quaenam vera sit democratiae et oligarchiae notio, cum ii qui in eo acquieverint, quod in oligarchia nonnulli tantum, in democratia vero multitudo regnet, parum dixerint (2). Denique huc pertinent ea, quae de media ratione inter virtutem ethicam et politicam interponenda disputat (3). De quibus rebus ut certum aliquid statuatur, a iustitia, quae est summa virtus, proficiscitur (4). Enimvero civitas hominum est societas »πρὸς ἀρετῆς ἐνέργειαν ἐν βίῳ τελείῳ,« neque ad solam defensionem et ad vitam sustentandam instituta (5). Sed hominum cupiditates, quominus summa illa virtus teneatur, prohibent. Iam vero quaeramus, unde

(1) Ar. pol. III., 5, 2 sqq.
(2) Ib. III., 5, 6—7. IV., 3. 6.
(3) Ib. III.. 7.
(4) Ar. pol. III,, 5, 9 et 9.
(5) Ib. III., 5, 13 et 14. cll. I. 1, 8.

effectum sit, ut hae factiones democratica et aristocratica seu oligarchica (nam aristocratia tam priscis temporibus in oligarchiam mutata est, ut, ubi de vero historiae Graecae flore agitur, utraque nomine tantum differat, re autem idem significet), tantam dignitatem nactae sint. Nam simulac civitates, maxime Atheniensium et Spartanorum potestatem suam internam atque externam augere inceperunt, totius populi alacritatem ingenii magis magisque incitari animadvertimus, quae ad rerum publicarum quam maximam partem capessendam singulorum animos incitabat. Vel ipse Aristoteles id certe postulat, ne populus ad servitutem redigatur, ut publicae salutis consulendae et causarum diiudicandarum partem habeat (1). Populi vero multitudini opposita est nobilitas. Verum enim vero nobiles, uti prisca aetate, ubi inter summum bonum, quod constat virtute perfecta, et rem politicam nullum discrimen intererat, virtute interna et exteriori adeo clarebant, ut imperium iis mandaretur; sic etiam postea propter divitiarum opem et potestatem, qua bellis potissimum potiti erant, civitatis gubernaculum tenere volebant. Quae aristocratiae in oligarchiam mutatio fiebat inter bellnm Persicum et Peloponnesiacum. Hae igitur duae magnae factiones erant, quae Graeciam dilacerabant et quae quasi semen erant, quo eius perniciem et interitum adduci oportebat, populus et optimates (2). Invenitur quidem ea divitum et pauperum oppositio omnibus in civitatibus, in Graecis vero civitatibus ita, ut tota histo-

---

(1) Ar. pol. III., 6, 6.
(2) cf. Wachsmuth l. l. I., 2, p. 99 sqq.

ria in hacce oppositione tollenda versetur (1). Hoc enim dicit, omnibus reipublicae institutionibus aut democratiae aut oligarchiae aliquid inesse, quare ante omnia quaerendum esse, utrum melius sit. Cuius quaestionis solvendae difficultas tanta est, ut ne ipse quidem Aristoteles eam superaverit. Accedit vero alterum argumentum. Cum enim Plato suae aetatis indolem perspiciens, in qua singuli suam quisque agendi et cogitandi libertatem sibi vindicare appeteret, verum morum principium, i, e. veram Graecorum naturam, quae nititur in ethicae et politicae inseparabili coniunctione, illi opponeret: Aristotelem videmus contra dua illa principia contrarie opposita pugnantem, ita ut medium quoddam invenire studeret, in quo neutrum violaretur. Et vel ipsa illa singularis disputandi ratio, quae per Aristotelis libros politicos obvia est, eximium exemplum permagnae crisis praebet, in qua omnis rerum conditio, vel tota illius aetatis indoles versabantur. Quod non satis perspicientes recentiores quidam scriptores contra Aristotelem iniustissime invecti sunt (2). Nam fuit ille, si non primus, certe is, qui summa sagacitate, quae fuerint laudanda, quae vituperanda in Graecorum natura, undique perspexit et causas

---

(1) Ar. pol. IV., 3; 15. ib. IV., 3, 4. cll. V., 1, 8. III., 6, 1.

(2) cf, Ritter l. l. p. 390. „Genug, wie wir uns auch wenden, der Aristotelischen Politik scheint die letzte Vollendung zu fehlen. Und in der That, die ganze Lehre des Aristoteles zeigt sich uns in diesem Lichte (?!!). Wir möchten sie mit solchen Werken der Kunst vergleichen, welche bestrebt sind, in das Einzelste vorzudringen, und überall den grössten Reichthum an Gedanken zu entwickeln, welche aber über der Mannigfaltigkeit und Grösse der Aufgabe nicht zur Vollendung gelangen können,“

exploravit; primus vero et solus fuit scriptor, qui tenui et acuta omnium civitatis formarum distinctione fidelissimam earum imaginem exhibere et suam cuique virtutem vindicare conatus est. Finem vero omninm harum disputationum sic enuntiavit, ut diceret, in nulla civitate neque inveniri neque posse inveniri iustitiam. Quocunque enim, inquit, nos convertimus, nusquam, sive unus tantum sive plures regnant, exstat vera *μεσότης*, quae utramque rationem aeque in se coniungat; quare maxime eorum censet opinionem, qui multitudini imperium vindicare vellent, tuendam esse, etiamsi hoc quoque multa habeat, quibus laboret (1). Nam etsi in bono homine omnes virtutes maxime coniunctae sint, rarissime tamen homines tanta virtutis praestantia praeditos esse. Itaque si multitudo civitatem regat, multo facilius fieri posse, ut, cuiusque praestantia per se spectata omniumque virtutibus ad unum coniunctis, civitas summa virtute praedita esse videatur. Aristoteles igitur multitudinem admittit, immo pro certo habet, civitatis eam administrandae partes suscipere oportere; cum Plato eam a civitate plane excludi velit. Considerantibus nobis omnino rationem illam Aristotelis, conciliandi vim democraticam et oligarchicam saepissime inter sese pugnantes, eius consilium haud adeo dissimile fuisse videtur a Solonis consilio, qui ita egit, ut quae temporum conditione omnium Graecorum animis vitia innata erant, velut divitias obtinendi cupiditatem, cum universa indole et virtute sic coniungeret, ut perinde civium omnium Unitas exsisteret inque communi eorum consilio civitatis salus niteretur.

---

(1) Ar. pol. III., 5, 4.

Plato autem in libris de republica Lycurgo comparandus sit, qui sic processit, ut quaecunque a communi republica singulos cives seiungerent, quousque fieri posset, removeret. Qua ratione perpensa facillime cerni possit, quamnam Aristoteles sibi finxerit optimae civitatis ideam. Optima enim civitas ea est, in qua omnia elementa, quae in ceteris apparent, maxime potestas divitum et pauperum aequissima ratione divisa sunt, seu ubi virtus perfecta cum iis quae ad vitae usum sunt idonea et necessaria, deinde cum hominum natura et indole, non modo quae divinitus insita, sed quae temporum, morum, aliarumque rerum conditione varie mutata est, quam maxime consentiat. Haec est quam Aristoteles *μεσότητα* dicit, quam in nulla earum, quae notae essent, civitatum adesse ostendit. Si igitur, quod cuique occurrit et primo quasi adspectu probabile esse videtur, licet profiteri, et Platonem et Aristotelem ideam civitatis proposuisse dicimus, utramque perdifficilem ad perficiendum, attamen Platonem ideam absolutam neque humanae menti capessendam, Aristotelem vero hominum ingenio consentaneam.

Quodsi constat, in optima civitate ceteras formas contineri et quae elementa infesta inter se pugnant ea dissolvi oportere, reliquum est, ut formas illas ostendamus. Quo facto per se patet, quae sit vera *μεσότης*. Aristoteles enim non, uti Plato, quinque modo, sed sex reipublicae genera distinguit; tria bona, monarchiam, aristocratiam et politiam; tria vero mala, oligarchiam democratiam et tyrannidem (1). Monarchiam Aristoteles

---

(1) Ar. pol. IV, 2, 1 et 2.

praedilexisse videtur, quippe qua unus vir omnes virtutes et summam intelligentiam in se coniungeret, de qua re Platonem habet consentientem. Neque aliter fieri poterat, cum uterque statueret politicae et ethicae inseparabilem coniunctionem. Monarchia antiquis temporibus maxime propria. Rex enim is dicebatur, qui societati alicui vel minori vel maiori praesidebat (1), et ubique locorum valebat illud »οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω (2).« Rex igitur quibusque virtutibus excellere dicebatur; corporis formositate (3), virtute et honestate (4), intelligentia (5), denique potestate et munificentia (6). Regni noster quatuor species constituit, neque si veterum regna perlustramus, a veritate abhorruisse videtur, etiamsi non iusto ordine de iis locutus sit. Nam quod primum dicendum, regnum quod valebat tempore heroico, id ultimo loco posuit (7). Alterum illud Laconum est, ubi inveniuntur duo reges, qui perpetuam in bello praefecturam et sacrorum curam tenebant (8), qui mos ad ultima usque Graecae historiae tempora servabatur. Tertium genus tyrannidi simile, legitimum tamen est, quippe quo rex ab ipsis civibus, neque a peregrinis custoditur (9) Huc fere Persarum regnum pertinet. Quartum

(1) cf. Homer. Il. 8, 162.
(2) ib. 2, 204. cll. Plut. Pelop. c. 24.
(3) Ar. pol. 1, 2, 15.
(4) ib. III, 10, 7.
(5) ib. III, 2, 11.
(6) ib. V, 8, 5.
(7) ib. III, 9, 7. cll. III, 10, 1.
(8) ib. III, 9, 2.
(9) ib. III, 9, 3 et 4.

denique est aesymnetarum (1) qui cum potestate illimitata ad vitam aut ad certum tempus aut ad certam aliquam rem creabantur. In quibus omnibus rex ita summam potestatem tenet, ut ipse legibus semel datis obediat. Addit vero auctor quintam regnorum speciem, *παμβασιλείαν* (2), qua rex vel tota eius gens tanta virtute omnes antecellat, ut omnes sponte ei imperium offerant, quia ipse vel optimis legibus longe sit praestantior, immo Dei similis. De qua confuse et valde incerte disputavit, atque coniecerunt nonnulli interpretes, in Alexandri favorem haec omnia ab Aristotele disputata esse, de qua coniectura monuisse satis erit. *Παμβασιλεία* id regnorum genus esse videtur, quod etiam hodie novimus, ubi rex solus legibus est superior et solus omnibus rebus consulit, neque adest senatus totius populi nomine cum principe agens (absolutes Königthum); hoc tantum discrimine, quod in notione Aristotelia morum et virtutis summa perfectio cum potestate politica ad unum conflata est. Rara vero vel plane non exstat tanta unius hominis prae ceteris praestantia; de hac igitur non cogitat. Quaerendum itaque est, quod regnorum genus Aristoteles ceteris anteposuerit. Nam regnum eum voluisse, tota eius loquendi ratio iubet (3). Regnum igitur intelligitur unius hominis virtute praestantis imperium, qui tamen legibus obedit; in singulis vero rebus, de quibus lege nil constituitur, una cum populi multitudine civitatis saluti consulit. Talem puto Aristotelem

---

(1) ib. III, 9, 5 et 6.
(2) ib. III, 10, 2. cf. 11, 12 et 13.
(3) Arist. pol. III, 10, 5. cll. IV, 2, 1. V, 8, 6.

optimam civitatis formam ante oculos habuisse, ei simile quod nos hodie dicimus »ein constitutionelles Königthum.« Simile quid Aristotelem voluisse etiam ex iis patet, quae de notione civis disseruit.

Alio loco aristocratiam ceteris formis eum praeferre videmus (1), qua incerta loquendi ratione his libris propria cave ad errores abripiaris. Aristocratia optimorum imperium dicitur, ita ut omnium virtutes bene inter se consentiant, neque unus quisquam ceteris antecellat (2). Postulatur igitur in civitate aristocratica, ut praestantia quaedam virtutis, qua efficitur ut cetera populi multitudo illorum imperio facile obediat, ita virtutis quaedam moderatio, qua nobiles sibi ipsi pares fiant. Quibus duabus rebus aristocratiae conservatio nititur (3). Ei vero externam accedere oportet potestatem et bonorum possessionem (4). Quae ubi philosophus postulat, veram exhibet aristocratiae notionem ex ipsa historia sumtam. Nam si quis nobilium generi adscribi volebat, primum generis nobilitate, deinde agri possessione, quam hereditate acceperit, denique servis opus erat. Gentes aristocraticae, quae permultae in Graecia florebant, Bacchiadae, Alcmaeonidae, Basilidae (Ar. pol. V, 5, 4) satis notae sunt. Monarchiae et Aristocratiae maxima priscis temporibus erat potestas. Contenti enim erant, cum imperantes suis desideriis indulgerent et bonorum possessionem tuerentur (5). Postea vero, ubi neque unus

(1) III, 10, 7.
(2) cf, IV, 5, 10.
(3) Ar. pol. V, 6, 3.
(4) ib. V. 1, 3.
(5) ib. VI. 2, 1. 2.

homo virtute tantopere ceteris praestabat, populo suae ipsius potestatis et praestantiae magis conscio facto, singulae gentes minores fieri coeptae sunt. Unde evenit, ut externis auxiliis et opibus id sibi arrogare studerent, quod propria dignitate attingere nequibant. Evanescente igitur virtute, aristocratia iu oligarchiam mutata est.

Oligarchiae nomen per se iam indicat, de numero imperantium, neque vero de ea qua excellebant virtute cogitari (1). Namque aristocratia et quae ei respondet oligarchia apud Graecos non est civitatis quaedam forma forte instituta, uti monarchia et tyrannis, sed ex ipsius populi indole et desiderio sensim pedetentimque exculta est. Ubique tamen neque in oligarchia non debet exsistere illorum qui regnant aequa potestas (2), et caveri oporteat, ne alii existant divitiores et fortiores, ita ut in ipsa oligarchia altera oligarchia nascatur. Oligarchia vero democratiae plane est contraria; nam cum in civitate democratica pauperes, qui in concionibus iudicum munere funguntur, pecuniam acciperent, in oligarchia optimatibus iis, qui illam curam non suscipiebant, multa solvenda erat (3). Ac sicut natura Spartanorum et Atheniensium contraria erat, sic etiam aliam civitatis formam habebant; hi enim etiam sub imperio oligarchico semper democratiam, illi vero oligarchiam instituere et servare studebant (4). Ceterum singula de oligarchia valde incerte atque obscure dicta sunt, etiamsi communem om-

---

(1) ib. III, 5, 7. IV, 10, 2.
(2) ib. IV, 10, 1. cll. V, 7, 16.
(3) ib. IV, 7, 2. cll. Wachsmuth l. l. I, 2. p. 202 et 205.
(4) Ar. pol. V, 5, 9.

nibus his disputationibus inhaerentem sententiam, quam supra exhibuimus, facile agnoscas.

Neque minus incerte illa de regimine populari dicta sunt. Incipitur disputatio nostra a politia (1). Politia angustiori sensu vera est respublica, quam hodie dicimus, ubi totus populus vel pars quaedam populi summam rerum tenet. Respondet igitur monarchiae vel aristocratiae, quippe quibus pariter virtus summa lex valeat, vel, ut ita loquar, aristocratiam totius populi significat. Sed sufficit hoc genus institutionum memorasse; tam arcte enim cum ea, quam Aristoteles *παρέκβασιν* dicit, democratia cohaeret, ut alteram ab altera separare non liceat. Immo profecto populus Atheniensium tanto libertatis amore flagrabat, ut facillime a bene temperata et aequata democratia transiret ad effrenatam, qua non suffragio, sed sorte et *ψηφίςμασιν* omnia diiudicabantur (2). Tanta vero democratiae vis erat tantaque populi cupiditas, qua ad rempublicam capessendam ferebatur, ut quicunque peregrinus populi coniunctionibus sese miscebat, capitis damnaretur (3). Politiae et democratiae hoc discrimen est, ut in illa qualitas, in hac quantitas maxime valeat (4). Quid Aristoteles de utraque forma iudicaverit, non facile est dictu; tantopore omnia confunduntur. Nam ut exemplis utamur, duobus locis, quod Syracusis erat, regiminis democratici mentionem facit; neque vero accura-

(1) ib. IV. 5, 9. 6, 2—5. cll. Plat. Politic. p. 292 A.

(2) Ar. pol. IV. 4, 4.

(3) Sic Libanius declamat. narrat, quem citavit Montescuv. l. l., l. II. c. 2.

(4) Ar. pol. VI, 4, 3.

tius utrumque secernit (1). Neque usquam in historia civitatum Graecarum utraque bene distingui potest. Bonam atque moderatam democratiam in civitate Atheniensi usque ad mortem Cimonis seu usque ad initium belli Peloponnesiaci persequi licet, in qua valebat *ἰσότης κατ' ἀξίαν*, vera *δικαιοσύνη*, quam Aristoteles statuit. Namque *ἰσότης* illa nondum erat absoluta postea demum condita, qua omnes eadem privilegia et honores sibi arrogabant; sed omnes legibus obediebant neque ullum praeter iustitiam sese efferre sinebant. Sic populus Atheniensis sensim summa rerum potitus est, cuius rei ubique initium fieri, sicubi aliqua civitas classe maritimisque rebus omnibus praevaleret et sicubi mercatura floreret, iam Aristoteles perspexit (2), neque recentiores, inter quos est Montescuvius (3), omiserunt. Duae vero illae, quas saepius notavimus, res, avaritia ex mercatura orta, et illud, quo ad politicas res ferebantur, desiderium vehementissimum, etiam florente moderata democratia, principes causae erant illius quae postea insequebatur morum depravationis. Unde vere et praeclare dictum hoc Ciceronianum, »nolo eundem populum imperatorem et portitorem esse terrarum (4).« Nam divitiarum possessionis cupiditas totius populi animos vehementer invasit atque

---

(1) ib. V, 3, 6. Hoc loco temperatam democratiam (politiam) V, 10, 3. autem veram democratiam intellexisse videtur, cf. V, 1, 9. 8. cll. eth. Nic. V, 3, 4. Ultima quam Aristoteles dicit democratia seu demagogia in omnibus fere civitatibus eo tempore nata est, quo Athenienses a Syracusanis victi sunt.

(2) Ar. pol. V, 2, 12. 3, 5.

(3) l. l., l. XX. cap. 4.

(4) Cic. fragm. ap. Non. 1, 95.

immoderatae libertatis desiderium eos incitabat, ut summae licentiae indulgerent. Quare Periclem qui populo stipendia constitueret et Areopagum everteret (1) aliaque permulta pararet, quibus plebi vitam quidem levem et voluptuosam praebuit, virtutem autem fregit ac labefactavit, recte reprehenderunt novissimi historici (2). Semel adiuta populi licentia, quae paullatim increvit, impediri non potuit, quominus ultima illa democratia (3), quam noster, seu ochlocratia, quam Polybius dicit, aequatae democratiae locum susciperet. Sed ne longi simus de rebus notissimis, sufficiat, verba nostri egregia citasse quibus transitum ad recentiorem democratiam eiusque causas declarat, quae V., 7, 22. leguntur.

In ultima hac democratia saepe exsistunt adulatores seu gratiae popularis captatores quidam, qui ipsius populi favore adiuti summam rerum adipiscuntur (4). Qui cum adeo progressi sint, ut totum populum ad conditionem servillem redegerint, et omnibus legibus mutatis et perversis nullo modo limitati regnent, tyranni dicuntur. Tyrannus igitur sine lege civitatem regit, neque vero quia virtute praestans ipse leges constituere possit, quibus civitatis felicitas perficiatur, sed quia lege adstrictus sua commoda iuvare nequeat. Exempla tyrannorum et facta satis nota sunt.

Enarravimus formas civitatum Graecarum, quales Aristoteles exhibuit, non ita quidem, uti rei difficultas et gravitas postulabat, sed ut finem, qui Aristoteli in

(1) Ar. pol. II., 9, 3. Postea Kleonlem iudicum stipendia auxisse traditur, vid. Boeckh Staatshaushalt der Athener I., 152.

(2) Wachsmuth l. l. I, 2. p. 66—68.

(3) Ar. pol. IV., 4, 5.

(4) Ib. V., 1, 7. Similia Plato de tyrannide disputavit.

iis describendis propositus erat, breviter denotaremus. Nam cum id sibi proponeret, ut summam ideam reipublicae delinearet, Unitatem relativam (sit venia verbi) seu *μεσότητα* quae exaequando singulorum hominum virtutes atque vitia, et ea quae bona quaeve mala essent, oriretur: primum ostendit, formas civitatis quas enumeravimus, vel magis vel minus a proposito civitatis fine discedere; deinde vero has ipsas ex uno communi fonte proficisci, ex ratione, qua diversi reipublicae ordines sunt coniuncti, et maxime quidem ex coniunctione, quam vis oligarchica et democratica, seu divites et pauperes in civitate iniissent; denique declaravit, optimam formam nihil esse nisi eam quae ex omnibus bene et aeque misceretur, quaeque summam et mediam quasi rationem contineret. Est enim illa vera *μεσότης*, quantum fieri potest, in civitate efficta.

Fac enim, antequam huic commentationi finem imponamus, summam eorum quae disputavimus et quibus utriusque operis, Platonis de republica et Aristotelis quod de politicis rebus conscriptum est, constet similitudo et dissimilitudo, breviter repetamus. Uterque enim et Plato et Aristoteles universam rationem, qua animus Graecorum in vita externa et in singulis rebus gerendis sese manifestabat, vel potius politicam Graecorum conscientiam, qualis ex eorum indole et natura prodibat, uno conspectu amplecti conatus est. Eo vero differunt ab iis, qui antea de politicis sententiis exposuerant; (veluti septem sapientes, iique quorum sententias Aristoteles perlustrat, Phaleas, Hippodamos et legislatores quidam), quod hi omnes tantummodo nuda consilia et prae-

(1) Ar. pol. IV, 9, 3. Plat. de rep. VIII, p. 564 E.

cepta nobiscum communicaverunt; neque vero doctrinam, quae dicitur, rerum politicarum seu sententias politicas ex philosophiae principio deductas atque in populi ipsius indole positas nobis tradiderunt. Qua de causa in Platonem primum occurrimus, qui locum haud minimum in hac doctrina excolenda habuerit, uti etiam simul cum Socrate philosophorum primus exstitit, qui singulas sententias, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerant, inter se iungeret, et doctrinam philosophicam in partes suas divisam constitueret. Ipsa vero historia ut rerum publicarum, ita philosophiae universae Platonis et Aristotelis principia et utriusque viri de politicis placita, quae exponere studuimus, satis declarant, utrumque in hisce rebus consentire debuisse, primum naturam hominum pro innata iis imbecillitate atque virium infirmitate ad vitam sustentandam et ad eam quae inde effluit felicitatem externam atque internam comparandam societate quadam seu civitate egere ideoque hominem per se spectatum nihil esse nisi partem civitatis. Deinde vero cum summa hominum beatitudo in ea quae hominibus insita est virtute atque Dei similitudine, quantum fieri potest, exhibenda atque paranda posita sit, consequitur, politicam et ethicam virtutem separari omnino non posse. Porro autem, id quod facile ex praecedentibus intelligitur, cum natura omnibus hominibus certum quendam sapientiae modum praebuerit, qua virtutem sibi propriam parent atque in vita agenda excolant, et cum ita discrimen intercedat inter singulorum hominum virtutem, pro ea qua eminent praestantia aut inferiores aut superiores civitatis administrandae partes suscipiant necesse est. Inde fit, ut, cum alii a natura mente creatrice praediti ad imperan-

dam et regendam civitatem facti sint; alii qni medias partes tenent Platonique φύλακες dicuntur et cives reipublicae Aristoteliae, res gestas, quibus efficitur externa reipublicae felicitas, peragant et omnino singulis civitatis muneribus fungantur: alii denique ad vitae necessitates reliquis afferendas a natura destinati eiusmodi sint, qui e sua ipsorum mente nihil progignere, sed tantum, quae ab aliis iubentur, possint exsequi. Hi sunt, quos Plato δημιουργῶν ordini adnumerat, Aristoteles φύσει servos dicit. Cum vero virtus apud utrumque interior quaedam vis sit et rebus et hominibus data, qua secundum naturam sibi innatam agant, summus hominum finis in eo nititur, ut officia ordinis, cui adscripti sunt, quam perfectissime peragant. Neque igitur is, qui servus est, alia agere debet, ne contra naturam suam peccet. Quod denique ad finem attinet, quem uterqne sibi proposuerat, non civitatem condere, sed ideam statuere voluit, cuius fundamento civitas, ut cives eius omnes beati forent, niti deberet. Quae idea — Platonis, qui philosophiae summum finem, ideam boni seu absolutam Unitatem, Aristotelis, qui μεσότητα ethicam et politicam summum reipublicae finem exhibet, — in iungendis iis, quae sibi oppositae sunt, rebus ponitur. Haec fere, quae politicas inter sententias utriusque obvia est, similitudo esse mihi videtur.

Sed ut dicamus, quibus de rebus Aristoteles a Platone diverse senserit, civitatis origo, quam uterque ex hominum natura sumsit, apud Platonem uti externa quaedam describitur necessitas, cuius causa hominum sit inopia atque infirmitas. Aristoteles vero altius escendit, neque in iis sibi consistendum censuit, quae a Platone

his verbis constituta erant (1): »γίγνεται τοίνυν πόλις, ἐπεὶ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής.« Sed cum dicat, debere res, quae in natura exsistant, sese consociare (2), atque tali inter homines societate civitatem oriri, eius originem ab ea, quae in rerum natura cerni dicit, idea κινήσεως seu motionis deducit. Motio enim seu actio rerum, in qua universa natura nititur (3), ab ὕλῃ seu materie alicuius rei proficiscitur, sequitur deinde ea quam ἐνέργειαν dicimus, qua res diversas formas accipit, denique ἐντελέχεια, quasi quaedam continuata motio et perennis (4), sic ut singulae rerum formae quae nascuntur certo quodam et necessario ordine appareant. Similis hominum ad civitatem coniunctio fit, ut quae inter eos inveniatur dispar virtutum atque vitiorum ratio disiungatur atque alterum altero suppleatur, quoad perfectae reipublicae ἐντελεχείας, i. e. civitatis summa cum virtute, quae hominibus attingi potest, praeditae illustris imago effecta sit. Quo in genere originis summum principium latet philosophiae Aristoteliae, a quo ut ubique, ita in disceptationibus quoque politicis initium fecit. Philosophiae igitur principium initio collocat et sic disputat, ut omnia civitatis prima elementa et singulae partes ad hanc legem dispositae sint. Sic omnino disputat, ut quasi omnia supera, infera, prima, ultima, media cernere nobis videamur. Verum Plato a rebus, quae sub sensus cadunt, profectus ad superiora

---

(1) Plat. de rep. II, p. 369 B. de legg. III, p. 678.

(2) Ar. pol. I, 1, 4,

(3) Ar. physic. ausc. l. II, c. 9, 10. III, 1, 6. 9.

(4) Hegel l. l. p. 345. „der Zweck ist der Begriff als das sich im Anderen Wiederherstellende.“

ita ascendit, ut illas quasi ad haec evehere studeat. Platonis enim rempublicam exhibere censeo perfectam philosophiae, politicae, ethicae Identitatem. Haec igitur est, quae discrepantia intercedat inter ea, quae uterque de civitatis origine statuit. Civitatis vero partes apud Platonem sic denominatae et descriptae sunt, ut coniunctio, quae inter hominum et animi virium actionem intercedit, recte quidem probata, neque tamen, qualem civitatis ἐνέργειαν, ut animi facultatum notionihus possit respondere, esse oporteat, usquequaque expositum sit. Utrumque hoc apud Aristotelem factum est Nam alia sunt civitatis elementa, id quod regnat, id quod servit, quae uti in familia, prima hominum societate, sic etiam in republica exstant; aliae partes seu ordines reipublicae (Ar. pol. IV, 3, 11 — 14). Quod deinde ipsam civitatis ideam esse uterque contendit, eo differunt, quod Plato postulat, ut unius hominis natura in natura civitatis prorsus sese tollat, ut omnino omnis singularitas removeatur atque exsistat universitas. Aristoteles vero homines singulos decore suo libertate non spoliat, immo eam postulat, ut homines singuli possint sibi ipsi εὐδαιμονίαν praebere eiusque conscii fieri. Cum ea propria quoque possessio coniuncta est, quam Plato admitti posse negat (1). Denique de ratione, quae in utriusque opere, de quo agitur, occurrit, sic statuendum esse mihi visus sum. Etenim Plato civitatis naturam ad summos usque fontes indagavit et summum declaravit Unitatem absolutam, cui in vita agenda responderet iustitia, animi partium consensio. Ostendit omnino, doctrinam politicam

(1) Fr. Biese l. l., t. II, p. 428 in annot.

proficisci debere a philosophia animi. De qua re certe Aristoteli cum Platone convenit. Attamen in eo elaboravit, ut singula magis secerneret, ut philosophiam cum politica connecteret quidem, neque vero conflaret; denique ipsam civitatis agendi facultatem ostendit, qualem esse oporteat, ut finis propositus singulorum hominum et totius reipublicae felicitas attingi possit. Unde factum, ut non modo theoriam quandam libris suis exhiberet, sed ut politicam omnium civitatum historiam doctrinae suae de civitate implecteret.

Quid igitur praeceptis suis aequalibus, quid viris doctis, qui postea in literis versati sunt; quid philosophiae, cuius primus uterque dux viam praeivit, quid ipsi disciplinae politicae, de qua agitur, quid omnibus studiis humanitatis et literarum lucis attulerit, deinde quid sit quo Aristoteles Platone altius egressus sit, iam vix erit, in quod fusius inquiramus. Si quis vero utriusque rempublicam coniunctim examinaverit, primum quod ad ethica principia attinet, neque Platonem, neque Aristotelem, quum uterque »τὸ ἑαυτοῦ πράττειν,« quod Platoni dicitur, virtutis notionem proponeret, et cum eos tantummodo, qui a natura ita creati sunt, ut summis in civitate muneribus fungerentur, summae quoque virtutis atque intelligentiae participes fieri posse doceret, verum, quod praescribit religio Christiana, ullo modo attigisse constat. Ea enim virtutem non esse naturae convenienter agere, sed bonam actionem ex libero arbitrio et voluntate peragi neque nisi ipsorum hominum salute augenda niti oportere vult. Non igitur sufficiunt mens atque ratio, ut aliquis secundum leges virtutis agat, sed accedere oportet animi proclivitatem et id quod nobis

dicitur »die Gesinnung.« Quod vero ad sententias politicas attinet, politicae in utriusque opere cum ethica coniunctio, quam Plato probat, Aristoteles verbis quidem impugnat, revera tamen ne ipse quidem relinquere poterat, impedit, quominus, quae sunt de institutis deque hominum in civitate conditione, discreta ab ethicis principiis per se constituantur. Impedit singulorum quoque libertas quae lege politica nimis coërcetur. Nam quam Aristoteles singulis hominibus libertatem tribuit, ea a vera libertate multum differt, cum omnia, quae in eos cadant atque omnia quae agant, nonnisi ad universae civitatis commodum fieri possint.

Haec fuerunt, quae de civitate a Platone in libris de republica proposita et de civitate Aristotelia disputaremus. Tantum quidem abest, ut hanc materiem ullo modo exhauserimus, ut, plurima esse, quae in hac commentatione etiam desiderari, plurima quae multo accuratius, diligentius, subtilius illustrari debebant, quam nos quidem fecimus, bene ipsi sentiamus. Sed utut est, me hoc opere aliquid veritati attulisse spero et opto, et vestram, viri doctissimi ac summe colendi, veniam in singulis rebus benevolentissime mihi dandam summopere peto.

# V I T A.

Natus sum Guilelmus Orges evangelicae fidei addictus pridie Nonas Februarias anni MDCCCXVIII, Osnabrugae, patre Carolo Georgio, centurione Brunopolitano rei tormentariae praeposito, matre Julia, e gente Friderici. Primis literarum elementis imbutus sum Brunsvigae in orphanotropheo. Anno deinde MDCCCXXIX. inter discipulos progymnasii, quod Hartwigio, et postea inter discipulos gymnasii primarii, quod Kruegero rectore floret, receptus sum, quibus viris quot et quanta debeam, dicere nunquam potero. Postea per semestre praelectionibus interfui, quae in Collegio Carolino ab Ill. Petri, viro in quaque linguarum liberaliumqne artium doctrina versatissimo atque eruditissimo, habentur. Unde anno MDCCCXXXVIII. testimonio maturitatis instructus, ut antiquis literis operam darem, Lipsiam migravi, et inter

cives academicos receptus lectionibus interfui V. V. Ill. Ill. Hermann, Wachsmuth, Hartenstein, Drobisch, Haupt, Klotz. Anno denique MDCCCXL. in hanc almam universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem profectus scholas frequentavi philologicas V. V. Ill. Ill. Boeckh, Lachmann, Zumpt, Krueger; historicas V. Ill. Ranke; philosophicas et paedagogicas V. V. Ill. Ill. Trendelenburg, a Schelling, Marheineke, Werder, Althaus.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas habeo semperque habebo.

# THESES.

1. Tres rationes, quas Aristoteles in libro primo de republica familias continere dicit, cum institutionibus reipublicae ad assem congruunt.
2. Institutionis philosophicae haud commode ab historia philosophiae initium fieri.
3. Quinque virtutes, quae ab Aristotele in ethic. Nicom. l. VI., c. III. sqq. ed. Michelet definiuntur *διανοητικαί*, simili ordine et ratione, ac quinque gradus bonorum, quos Plato in Philebo proposuit, exhibitas esse existimo.
4. Legem Salicam ante Clodoveum regem Francorum constitutam esse.
5. Octo primi versus, qui in Horat. satir. X. l. I. leguntur, Horatio abiudicari nequeunt.
6. Platonicas quas nuper introduxit vir quidam doctus categorias nullas esse.

# ERRATA.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Pag. 6 | lin. | 28 | pro sit lege esset. |
| » 8 | » | 11 | post ut adde non modo. |
| » 19 | » | 11 | pro Glanco lege Glauco. |
| » 19 | » | 18 | pro huus lege huius. |
| » 20 | » | 6 | pro dascribit lege describit. |
| » 24 | » | 23 | pro nabis lege nobis. |
| » 30 | » | 2 | pro salutis lege salutem. |
| » 32 | » | 17 | pro tertiam lege tertium. |
| » 42 | ann. | 1 | pro Bitter lege Ritter. |
| » 43 | » | 10 | pro poposuit lege proposuit. |
| » 43 | » | 25 | pro sectum lege sextum. |
| » 44 | » | 8 | post optimo adde viro. |
| » 51 | » | 25 | pro sublimen lege sublimem. |